

TRACTATUS II.

DE II PRAECEPTO

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 5.

¶ Non assumes nomen Domini Dei tui
in vanum Exod. xx. 7.

456. — In hoc praecepto agitur de reverentia seu honore, qui *Nomini Dei* exhibetur *verbis*, deque peccatis illi contrariis. Porro divinum Nomen verbis honoratur 1º per *laudem*; inhonoratur autem per *blasphemiam* et *otiosam usurpationem Nominis Dei*. Honoratur 2º per *iuramentum*, utpote quo profitemur Deum esse primam veritatem; item per *adiurationem*, qua divini Nominis potentiam profitemur; inhonoratur autem imprimis per *periurium*. Honoratur 3º per *votum*, vovendo enim profitemur Deum esse *omni servitio dignissimum*; inhonoratur autem per *voti fractionem*. (Marc. n. 593.)

Agemus: 1º de blasphemia et otiosa usurpatione Nominis Dei, 2º de iuramento, 3º de adiuratione, 4º de voto.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA ET OTIOSA USURPATIONE NOMINIS DEI

Dicemus prius fuse de blasphemia, dein breviter in Scholio de otiosa usurpatione Nominis Dei.

457. — **Notio blasphemiae.** Blasphemia *large accepta* significat quamlibet contumeliam alteri illatam, ut in Isai. LI. 7 et ad Tit. III. 2. *Stricte accepta*, prout hic sumitur, est locutio contumeliosa in Deum; continet nempe quamdam derogationem divinae bonitati seu perfectioni. — Dicitur: *contumeliosa in Deum*, i. e. sive *immediate* Deum ipsum attingit, sive *mediate* per Sanctos aliasve creaturas, quatenus eorum inhonestatio redundat in Deum.

Blasphemia quinque potissimum modis committi potest: 1º Cum Deo aliquid tribuitur, quod ei non convenit, sed potius repugnat. 2º Cum aliquid de Deo negatur, quod ei convenit. 3º Cum creaturae tribuitur, quod soli Deo proprium est. 4º Cum de Deo vera quidem dicuntur, sed modo contumelioso, irrisorio,

vel cum indignatione aut iracundia contra Deum. 5º Cum convicia proferuntur contra Sanctos, vel res Deo sacras, vel alias creaturas cum speciali relatione ad Deum.

Divisio blasphemiae. 1º Blasphemia alia est *cordis*, alia *oris*; nam verba contumeliosa vel sola mente seu corde concipi possunt vel simul ore proferri, quin et scripto exarari typisque vulgari.

2º Blasphemia dicitur *contra Deum*, quando profertur immediate contra Deum in seipso; *contra Sanctos*, si contra Sanctos profertur, quippe quae mediate in Deum redundet. Eadem ratione, si quis convicium dicit in *res sacras*, blasphemare censendus est: quia, sicuti cultus earum, ita et contumelia ipsis irrogata, relativa est, atque ad Deum refertur. Imo, si quis *aliis creaturis* maledicit, quatenus creaturae Dei sunt, ideoque cum relatione ad Deum, revera blasphemat; quia non potest esse malae creaturae bonus Creator, et sic maledicere creaturae, prout creatura Dei est, est quodammodo maledicere Creatori. Cfr. S. Thom. 2. 2. *qu. 76. a. 2 et a. 4 ad 1. (n. 29.)*

3º Blasphemia alia est *haereticalis*, quae haeresim seu falsitatem contra fidem continet. Alia est *imprecatoria*, qua vel Deo malum optatur, vel creaturis cum contumelia Dei. Alia est *simplex*, quae solam contumeliam continet, et ad modum despectionis aut indignationis proferri solet.

4º Alia est *directe* intenta, quando profertur cum explicita intentione Deo contumeliam irrogandi, et vocatur etiam *diabolica*; alia est *indirecte* intenta, quando fit cum sufficienti deliberatione, sed sine expresso proposito Deum inhonorandi.

458. — Principia. I. *Blasphemia IN DEUM est peccatum mortale gravissimum ex TOTO genere suo.* Est peccatum mortale ex toto genere suo, quia Deo summam iniuriam infert, cum supremam eius Maiestatem deprimat. — Est peccatum gravissimum, quia semper est peccatum contra laudem Deo debitam, et, saltem si est haereticalis, contra confessionem fidei. Si fit cum errore in intellectu, est insuper peccatum contra ipsam fidem; si fit cum Dei detestatione, adversatur caritati, et est peccatum proprium damnatorum; si prorumpit in verba, magis adhuc derogat laudi divinae. Unde in veteri Lege blasphemus iubebatur lapidibus obrui, uti patet ex Levit. xxiv. 16.¹⁾ Cfr. 2. 2. *qu. 13. a. 3.*

Sunt qui putent omnem blasphemiam, etiam non haereticalem, opponi confessioni fidei. Iuxta eos blasphemia haereticalis directe, alia vero semper indirecte opponitur fidei, quatenus blasphemus dicens secundum se vera, intendit tamen Deo attribuere imperfectionem. Hi theologi tali modo explicant D. Thomam, docentem blasphemiam opponi confessioni fidei. (2. 2. *qu. 13. a. 1.*) Alii vero dicunt S. Thomam ibi tantum loqui de blasphemia haereticali. Cfr. Billuart. *De*

¹⁾ Cfr. etiam can. 2323, et Codicem poenalem germanicum § 166, ubi poena carceris ad tres annos statuitur contra palam Deum blasphemantes. Cfr. et Cod. pen. ital. art. 724 ubi multa paecunaria statuitur.

Fide. Diss. V. a. 5; cum quo insuper notes posse idem vitium opponi diversis virtutibus (in casu fidei et religioni) sub diversa ratione.

II. *Blasphemiae in sanctos, res sacras vel alias creatureas, prout referuntur ad Deum, sunt eiusdem speciei ac blasphemia in Deum, ac peccata mortalia ex toto genere suo:* quia in Deum redundant. Si autem Sancti qua homines contumelia afficiantur, v. g. si quis ex ioco Santos Crispinum et Crispinianum appellat sutores, hoc utique est veniale (contra duliam); grave vero erit si contemptim, vel ex odio aut indignatione contra Santos haec diccas. (n. 125. Marc. n. 597.)

III. *Blasphemae sunt locutiones, quae vel ex propria significatione, vel ex communis verborum acceptione, vel ex mente proferentis, divino honori iniuriam inferunt.* Ratio est quia ex his tribus verba sensum accipiunt. (n. 125.)

Quocirca attenduntur duae regulae: 1º Ut locutio aliqua ex propria significatione sit blasphema, necesse est ut habeat sensum completum contumeliosum in Deum. Non erit ex se blasphema, si verba corrupta aut dimidiata sint; tunc attendenda sunt conscientia proferentis et proferendi modus. (n. 124).

2º In dubio utrum aliqua locutio sit neene blasphema, blasphema non est iudicanda; quia regula generalis est quod ad actionem aliquam certo damnandam de gravi peccato de eius gravi malitia constare debet. Ideo ad affirmandum actionem aliquam culpa gravi carere, sufficit quod probabile est non esse gravem. Eadem ratione ad statuendum locutionem aliquam blasphemam esse, de blasphemia constare debet. (n. 129; 130. v. Confirmat; n. 132. v. Adversarius in, et in fine; item n. 547. v. Ceterum).

IV. *Ad peccatum blasphemiae requiritur et sufficit assertiva prolatione verbi blasphemie, nec requiritur directa in honore Deum intentio.* Ratio est generalis illa regula, quod ad contrahendam obiecti malitiam necessaria non est formalis intentio eius malitiae, sed sufficit indirecta seu virtualis eiusdem volitio.

Dicitur: REQUIRITUR assertiva prolatione: nam *narrativa* prolatione, qua quis blasphemiam narrative refert, non est peccatum, cum Deum nullatenus in honoret. *Iocosa* prolatione potest subinde irreverentiam in Deum tollere, aliquando vero non tollit; tollit v. g., ut ait Sanchez (*Decal. lib. 2. cap. 32. n. 41.*), si quis irrisio causa per falsos Deos iurat. (n. 124.)

Dicitur: SUFFICIT assertiva prolatione: neque obstat quod *imprecatio in homines* venialis fiat ex defectu seriae voluntatis; quia tota imprecationis malitia consistit in *desiderio* ut alteri grave malum eveniat; in *blasphemia* autem propria malitia sita est in *contumelia verborum*, quae contumeliosa manent, etsi desit in honore Deum intentio. Consequenter blasphemat, qui deliberate profert verbum quod cedit in opprobrium Dei; idque etiamsi ex mera impatientia in creatureas, non in Deum, profertur, idque etiamsi audientes id intelligent. Non potest enim tali modo effici ut verba sensum suum contumeliosum perdant.

Blasphemia cum *directa* intentione inhonorandi Deum, facile addit speciale malitiam ex odio Dei, ex desperatione, ex consummata superbia.

459. — Resolutiones. 1º Blasphemia haereticalis est, *serio* dicere non esse Deum: Christum Deum non esse: Deum esse tyrannum, iniustum, mendacem: Ipsum nolle aut non posse nos iuvare: non esse apud Ipsum providentiam: non omnia ab Eo bene ordinata esse; in creatione quaedam melius fieri debuisse; dicere: *Abnego Deum, Christum: denego Fidem, Orucem, Sacra*menta. — Item creaturae aliquod attributum divinum adscribere; v. g. vocando daemonem sanctum, Deo fidelorem; secus vero si nominetur potens, sapiens, secundum naturam suam, modo his verbis non intendatur ei aliquem honorem tribuere. (n. 122. 124. H. A. n. 1.)

2º Blasphemia est: a) dicere: *Velit, nolit Deus, hoc faciam, — Maledictrus Deus, — Pereat Deus, — Utinam Deus non esset!* — b) Cum contemptu vel indignatione contra Deum aut ironice nominare attributa divina, v. g. *Vah! Dei bonitas! Vah! Dei iustitia!* Quo spectat blasphemia Iudeorum: *Ave, Rex Iudeorum*, et illa Juliani apostatae: *Vicisti, Galilace!* (n. 124.) — c) Dicere: *Perdat te Dei sanguis, perdant te Sacra*menta; cum ea non ad perdendum, sed *unice* ad salvandum hominem a Deo data sint. Ita communiter. (n. 126.)

3º Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut spuere in caelum, infrendere dentibus, etc. Imo etiam sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei haberri potest. (n. 135.)

4º Non est blasphemia dicere: *Renego Deum, si te non percussero;* quia proferens non habet animum negandi Deum, si forte non percusserit, sed vult solum dicere: *Sicut certum est quod Deum non negabo, ita certum habeo quod te percutiam.* (n. 124.)

5º Neque blasphemia est, si quis ex ira aut indignatione, non contra Deum, sed contra hominem vel iumentum, sine scandalo et iis circumstantiis quibus contemptus importatur, nude profert verba sacra: *Mors Dei! mille Dii! mille Sacra*menta! *Sacra*mentum! (n. 148.)

6º Veniale tantum est, imprecari alicui, sine animo, ut abripiatur a daemone. Non enim est blasphemia, sed *imprecatio in hominem*, quae venialis fit ex defectu seriae voluntatis. (n. 131.)

7º A gravi malitia blasphemiae excusat defectus advertentiae, prout quando quis subita passione prius protulit verbum quam adverterit sensum eius. Advertendum tamen, consuetudinarios, quamdiu consuetudo voluntaria est, minime excusari ob impetum irae vel habitus. (n. 127. *Prax. Confess.* n. 31.) — Recole dicta n. 28 et 236. De blasphemia in ebrietate prolata, cfr. supra n. 256. III; S. Alf. H. A. n. 8.

460. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quandonam maledictio CREATURARUM habeat rationem blasphemiae.*

Resp. 1º Certo blasphemia est convictum in *Sanctos*, maxime in Beatam Virginem; quia sicut Deus in *Sanctis* suis colitur, ita et in illis contemnitur. Idem dicendum de contumelia in *res Deo sacras*, v. g. in Sacra*menta*, in *sacras* *imagines*.

2º Maledicta in alias creaturas blasphemiam participant in duplii casu: a) si maledicitur creaturis *excellenteribus*, in quibus divina attributa *specialiter*

eluent, uti sunt anima humana, fides catholica, caelum, terra, sive totus mundus; b) si fit cum *expressa relatione ad Deum*, seu quatenus creaturae Dei sunt, ut esset maledicere pluviae, ventis, in quantum a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*. Ratio est, quia tunc contumelia in Deum ipsum redundat. Secus ergo est, si indignatio fertur in creaturas sine relatione ad Deum, ut saepius contingit. Ita S. Thomas et alii communiter. (n. 129.)

QUAER. 2º *An maledictio MORTUORUM sit blasphemia.*

Resp. Negat.: non ex *objeto*; quia vox *mortui* per se non significat animas, sed est tantummodo terminus privativus, significans homines vita functos, quo sensu istud praedicatum pertinet proprie ad corpus, non ad animas immortales; unde maledicere mortuis non magis est blasphemia, quam maledicere vivis; non ex *intentione* maledicentium; quandoquidem illi abstinent a consideratione animarum et corporum, imo ordinarie nequaquam intendunt maledicere mortuis, sed vivis ad quos eas maledictiones instar iniuriae dirigunt. (n. 130 et *Epist. respons.* post n. 132.)

QUAER. 3º *An blasphema sit locutio gallica: SACRÉ NOM DE DIEU, vel: SACRÉ DIEÙ.*

Resp. Complures affirmant: quia verbum *sacré*, sicut latinum *sacrum*, habet ex usu duplē sensum contrarium, ut tradunt lexica; significat nempe vel *sanctum* vel *exsecrabile*, secundum adiuncta et proferendi modum; usurpatum ergo in ira vel indignatione, prout praefata locutio efferri solet, debet malum sensum habere. Ideo pro *blasphemare* gallice dicitur etiam *sacer*.

Alii autem verius docent esse quidem irreverentem prolationem Nominis Dei, non autem blasphemiam; quia non habet ex se malum sensum, aut saltem sensus est aequivocus, dependens ab *intentione* proferentis. Etenim locutio illa, sicut quaedam aliae, deducta est ab antiqua iuramenti formula, cuius dimidiatio est, nimurum: «Je iure par le très saint et sacré nom de Dieu.» Propterea non appareat ratio cur locutioni illi, de qua agimus, sensus blasphemus affigendus sit, etiamsi in motu irae contra creaturas proferatur.¹⁾ — Si quis autem ea verba proferat cum indignatione contra Deum, quod sane nonnisi homines improbi faciunt, tunc revera esset blasphemia, ut DD. communiter tradunt, et S. Alfonsus n. 124. Cfr. Gousset. n. 460; André. *Diction. de droit can.* v. *Serment.* § 2; Sesche-relle. *Diction. nation.* v. *Sacré*. Cfr. etiam Instructionem Episcoporum Belgii anno 1912.²⁾

Aliae eiusmodi locutiones, a iuramenti formulis ortae, sunt e. g.: *Par Dieu, nom de Dieu*.

Verba: *Mort Dieu* ellipsis continent, quae iure suppletur articulo *Mort de Dieu*, ut in aliis similibus, e. g. *Ventre Dieu*, *Fête Dieu*, in quibus articulus *de necessario simul intelligitur*. Ideo et haec locutio ex se blasphema non est.

QUAER. 4º *An blasphema sit imprecatio anglica GOD DAMN ME aut YOU, et hollandica: GOD VERDOM ME.*

Resp. Plures affirmarunt; quia 1º directe refertur ad animam, quae est creatura prae ceteris excellens; 2º contemptum continet voluntatis Dei salvandi omnes homines; 3º aestimatio communis huic locutioni sensum contumeliosum

¹⁾ Cfr. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 6. n. 8.

²⁾ Coll. Brug. 1912. p. 192.

in Deum tribuit. Cfr. Walterus. *Dissert. theol. de blasph.*; Cornelisse. *Theol. mor.* I. 312-316.

Hodie plerique docent esse quidem diram *imprecationem*, non autem ex se blasphemiam. Hinc dicunt ut communiter fit peccatum veniale non excedere; etenim imprecatio sine vero desiderio ut malum eveniat, inanis est, et peccatum veniale non excedit: atqui imprecatio damnationis communiter sine vero desiderio profertur. Probatur autem non esse blasphemiam: 1º S. Alfonsum docet imprecationem contra hominem tum solum contumeliam contra Deum continere, cum *anima exprimitur* vel diserte *intenditur*; nam in anima sola specialiter resplendet imago Dei. Atqui dictam imprecationem proferentes damnationem nequaquam volunt, neque animam intendunt. Ergo. (n. 130. H. A. n. 3. *seqq.*) — 2º Iuramentum execratorium: *In aeternum damnet me Deus, si mentior,* nullus Theologus dicit esse blasphemiam, si falsum iuretur; ergo neque si ea maledictio sine tali conditione profertur. (n. 140; Suarez. *De relig. tr.* 5. lib. 1. cap. 13. n. 29; Holzm. part. 2. n. 477; Reuter. *Theol. mor. cap.* 2. n. 300; Stoz. *Tribun. poenit. lib.* 1. part. 3. n. 184, 185.) — 3º Deo convenit damnare homines, perire volentes, estque iustitiae eius officium malos male perdere; tale optatum ergo contra se vel alium exprimere, praesertim non serio, uti fieri solet, non est Deo contumeliosum. Ita Tanner. *Theol. schol. tom.* 3. *disp.* 5. *qu.* 8. n. 135; Sporer. part. 2. cap. 10. n. 19. *sub iv*; Kenrick. n. 44; Martinet. *tom.* I. *pag.* 495; Konings. n. 363; Lehmk. I. n. 513; Forstmann. *Theol. Mor. Spec.* I. n. 99; Wouters. I. n. 637. *qu.* 4.

Quamvis, secundum dicta, *ex se* non est blasphemia, nihilominus per accidens *ex prava intentione proferentis* evadit blasphemia, quando nempe profertur cum ira vel indignatione *contra Deum*, vel animo inhonorandi Deum. Sic autem non nisi a nefariis hominibus profertur. (n. 128. 130. v. *Confirmat.*)

Non obstat doctrinae traditae 1º communis aestimatio; quia non est communis, sed varia in variis locis. Deinde populus potest quidem communi acceptione sua *sensum verborum* constituere; nequaquam vero decidere *quale peccatum* in aliqua locutione continetur; hoc enim ad Theologos pertinet.

Non obstat 2º timoratos ab ea maledictione abhorre; nam abhorrent quia dira imprecatio est, quae si ex animo proferatur, certo est peccatum mortale. Quapropter homines ab ea proferenda absterrendi sunt, et putantes eam esse blasphemiam caute, ubi spes fructus est, dedocendi sunt.

Non obstat 3º maledictio: *Perdat te Dei sanguis, mors etc.*, quia Dei beneficia sunt, ad salutem nostram UNICE data, in quibus Dei potentia, sapientia, et bonitas mire relucunt, quasque ideo talis imprecatio dishonestat. Ita communiter. (n. 126.)

Huic sententiae post novam disceptationem accedo, secundum regulam supra relatam: « *In dubio utrum aliqua locutio blasphemà sit necne, non est blasphema habenda.* » Cfr. opusculum meum *De imprecatione*, et Dissertationem Ed. Brahm C. SS. R. Cfr. et Instr. Episcoporum Belgii anno 1903, apud Brahm in ed. 2ª.

461. — *Notanda pro praxi.* 1º Confessarius animadvertat: a) num poenitentes veras blasphemias protulerint; saepe enim maledicta, iuramenta, et blasphemias confundunt; quare in dubio roget quid dixerint; b) num in habitum vere blasphemandi recidivi sint.

2º Remedia praescribat confessarius, tum ostendendo blasphemiae malitiam, tum suadendo poenitenti, ut quolibet mane serum propositum non blasphemandi.

mandi eo die renovet; ut pro singulis blasphemis, quas forte prolatus est, poenitentiam sibi imponat, v. g. tenuem eleemosynam, actum contritionis, orationem iaculatoriam. Suggerat quoque poenitenti locutionem aliquam innocuam, quae blasphemis subrogetur, vel qua locutio blasphema corrumptatur.

3º Eos, qui consuetudinem habent locutionum blasphemarum, quas non intelligunt, confessarii debent quidem fortiter monere ut ab illis proferendis desistant, non tamen instruere de peccato gravi quod revera iis inest, ne peccata materialia in iis ob malum habitum, quem habent, formalia evadant. (n. 150.)

4º Caveat concionator aut catechista, ne blasphemias esse affirmet locutiones, quas tales esse non constat; neque in errore relinquat eos, qui ob erroneam conscientiam graviter peccant; praestat enim innumera venialia permittere, quam unum mortale. (Marc. n. 599.)

461^{bis}. — SCHOLION. *De otiosa usurpatione Nominis Dei.* Otiosa usurpatio SS. Nominis Dei, in modum interiectionis, est veniale tantum; quia est defectus quidam reverentiae debitae, non autem positiva irreverentia. Idem, proportione servata, dicendum est de inutili usu nominis B. M. Virginis vel Sanctorum. Contra malam istam consuetudinem monet Eccli. xxiii. 10: «Nominatio Dei non sit assidue in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis.» (n. 128.)

Dixi: OTIOSA usurpatio; quia, si fiat cum reverentia, vel ad modum orationis iaculatoriae, culpa prorsus caret.

CAPUT II.

DE IURAMENTO

Tractabimus: 1º notionem iuramenti; 2º eius liceitatem; 3º quae obligatio oriatur ex iuramento promissorio; 4º quomodo hoc interpretandum sit; 5º quomodo huius obligatio relaxari queat.

Articulus I.

Notio iuramenti.

462. — Notio. Iuramentum est invocatio divini Nominis in testem veritatis; i. e. ad confirmandam veritatem assertionis suae homo invocat Deum, summam veritatem, ut sit testis quod veritatem dicat. Cfr. can. 1316. § 1.

Divisio. Est: 1º *Assertorium*, quo confirmatur veritas assertionis de re praeterita vel praesenti; *promissorium*, quo confirmatur veritas promissionis vel intentionis de re in futuro a iurante praestanda. Vocatur promissorium quia plerumque adhibetur ad promissionem aliquam, sive Deo sive ho-

mini sive Deo et homini factam, firmandam; potest tamen etiam adhiberi ad testandum nudum propositum. In priori casu vocari potest confirmatorium, in altero promissorium simplex.¹⁾

In quovis iuramento promissorio Deus invocatur in testem veritatis, hoc sensu quod invocetur in testem *voluntatis praesentis* adimplendi promissum vel propositum atque etiam, uti videtur in patronum seu fideiussorem sensu lato *exsecutionis futurae*, quatenus scil. invocatur Deus ut proposito vel promissioni auetoritatem conciliat atque vim, ne mutentur. Non vero invocari potest Deus in testem veritatis *futurae*, etsi verba ipsa hoc insinuare videntur; quamvis enim Deo futura praesentia sint, testis invocatur tamquam de re *futura*. Neque invocari potest Deus ut fideiussor proprie dictus, ita ut quasi simul cum iurante promittat vel proponat.²⁾ (n. 173.)

2º *Explicitum*, quum Deus ipse expresse invocatur in testem: *implicitum*, quum invocatur per creaturas, in quibus ipse *specialiter* relucet.

3º *Sollemne*, quod praestatur peculiari ritu aut caeremonia, v. g. tactu Evangeliorum, elevatione trium priorum digitorum in caelum; *simplex*, quod caeremonia caret.

Etiam auctoritas civilis iuramentum exigere potest tacta S. Scriptura. Attamen, non est licitum adhibere biblia ab heterodoxis corrupta; quapropter catholicis permitti, debet ut tangant S. Scripturam ab Ecclesia catholica receptam; quodsi non obtineatur, pastores animarum « prudenter taceant, » ait S. C. de Prop. Fide. 8 Sept. 1869.³⁾

4º *Invocatorium*, quo Deus solum vocatur in testem veritatis; *exsecratorium*, quo insuper invocatur in vindicem periurii aut infidelitatis, imprecando videlicet sibi in hoc casu malum a Deo: v. g. *Ita me Deus adiuvet*, i. e. si mentiar, aut promissum non implevero, Deus non me adiuvet. (n. 140. 141; Suarez. *De Relig. tr. 5. lib. I. cap. 12. n. 8. 9*; Sporer. *Decal. tr. 3. n. 13*; Pichler. *Ius can. lib. 2. tit. 24. n. 8*.)

Ex communi sententia omnia ista iuramenta eiusdem sunt speciei; quia iuramenti ratio formalis consistit in invocatione divini testimonii; reliqua accidentalia sunt. (n. 142.)

463. — Principia. I. *Ad iuramentum requiritur:* 1º intentio iurandi, saltem virtualis; quia est actus intellectus, nempe locutio interior, praesupponens actum voluntatis quo intendimus Deum nobis esse testem; 2º saltem pro iuramento inter homines requiritur formula iurandi, per verba aut signa, quae invocationem Dei in testem sufficienter exprimunt. (n. 134.)

Haec scil. signa requiruntur saltem pro iuramento inter homines; iuxta plures enim potest etiam quis iurare apud solum Deum, nec tunc aliquo signo externo opus est. — Ex alia parte, inter homines exigi potest ut quis determinato modo iuret, ita ut secus invalide procedat, saltem pro foro externo et quoad effectus iuridicos. Ita Codex Iuris Can. statuit iuramentum quod canones exigunt vel admittunt per procuratorem praestari valide non posse. Cfr. can. 1316. § 2.

¹⁾ Cfr. Billuart. *De relig. Diss. V. art. 2.*

²⁾ Cfr. Merkelsbach. II. n. 746. Wouters. n. 686.

³⁾ Coll. n. 1346 sub. 13.

II. *Formulae ambiguæ*, ex se non continentes claram *invocationem* di-
vini testimonii, utrum iuramentum sint neene dependet a proferentis *inten-
tione*; ita ut, si *invocative* illas proferat, iuramenta sint, secus si *enuntiative*
seu *narrative* tantum. (n. 134.)

464. — *Resolutiones*. 1º Formulae iurandi sunt: *Testor Deum*, — *testis mihi
est Deus*, — *per Deum*. Similiter, si iuratur per creaturas nobiliores, v. g. *iuro
per Sanctos*, *per Sacramentum*, *per Crucem*, *per fidem catholicam*, *per sanctum
Evangelium*, *per caelum et terram*, *per animam*; quia tunc implice invocatur
Deus, ut docet Christus apud Matth. v. 34. 35: « Neque per caelum, quia thronus
Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum Eius; neque per Jerosoly-
mam, quia civitas est magni Regis. » (n. 134. 135. 138.)

2º Formulae aequivocae sunt: *Deus novit me verum dicere*, — *coram Deo loquor*,
— *Deus videt conscientiam meam*, — *Deus testabitur suo tempore*. Communiter
tamen istae locutiones censentur tantum narrative proferri. Formula: *Vivit
Deus olim Iudeis praescripta erat*, uti patet ex Jerem. iv. 2: « *Iurabis: Vivit
Dominus.* » (n. 134.)

3º Formula: *Iuro ita esse*, ut communiter fit, non est iuramentum; quia per
nudum verbum *iuro* ex communi usu nullius testimonium imploratur; nisi
praecesserit iurisurandi petitio, qua ad verum iuramentum determinatur.
(n. 136.)

4º Formulae iurandi non sunt: *Per meipsum*, — *per fidem meam*, — *fine
boni Christiani*, — *per conscientiam meam*. Pariter: *Tam verum est, quam sol
lucet, quam hic sedeo, ambulo, quam est Deus*, etc.; quia haec verba denotant com-
parisonem potius quam invocationem. Item: *Expono caput meum, nisi ita sit,
occidar, si hoc non est*; quia communiter in modum nervosae confirmationis
dicuntur. (n. 134. 135. 137. 143.)

Notandum denique, quod multi, cum quasdam formulas iuratorias usurpant,
v. g. *per animam meam*, verum iuramentum non praestant ob defectum intentionis;
quod si patens est, neque aderit iuramentum fictum de quo infra n. 466.
qu. 1.

Articulus II.

Liceitas iuramenti.

465. — I. *Honestas iuramenti*. *Iuramentum secundum se LICITUM est,
imo actus est virtutis*. Constat: 1º ex S. Scriptura, quae illud approbat, ut in
Deut. vi. 13: « *Per Nomen illius iurabis* ». 2º Ex Conc. Constant. sess. 8,
prop. 43. (D. 623.) 3º Ex ratione; est enim actus *fidei*, qua homines credunt
Deum habere infallibilem veritatem atque omniscientiam; est etiam actus
religionis, quia reverentiam exhibet Deo, testimonium eius invocando. Ac-
cedit doctrina et praxis constans Ecclesiae. — Non obstat quod Christus dixerit
apud Matth. v. 34: « *Ego autem dico vobis non iurare omnino;* » nam repre-
hendit tantum abusum passim iurandi.

Attamen iuramentum non est bonum *propter se* appetendum, sed solum
ratione necessitatis appeti potest instar medicinae ad subveniendum infir-

mitati humanae, nimirum ad fidem conciliandam dictis firmitatemque promissis. Hoc sensu dicitur a Christo Domino esse a malo. (Matth. v. 37.) Propterea subiungimus hic quaenam sint ea, quae reddunt iuramenti usum et licitum et actum virtutis. (S. Thom. 2. 2. *qu. 89. a. 5.*)

II. Conditiones requisitae. Ad iuramenti honestatem tres requiruntur conditiones, scil. ut praestetur *in veritate, in iudicio et in iustitia*. Has conditiones recensuit Ieremias IV. 2: « *Iurabis: vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.* » Ita etiam can. 1316. § 1. Requiritur ergo:

1º *Veritas*, i. e. ut in iuramento assertorio iurans credit verum esse quod asserit, et in promissorio habeat sinceram voluntatem implendi quod promittit vel proponit.

Defectus veritatis constituit **PERIURUM**, quod est semper sine exceptione peccatum mortale ex toto genere suo; quia primam et infallibilem Veritatem in testem vocare mendacii, gravis illius iniuria est. Damnata propterea est ab Innoc. XI. prop. 24: « *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* » (n. 144. 147.)

Quanta autem **CERTITUDO** requiratur ad recte iurandum, hoc modo differt: *extra iudicium* sufficit aliqua certitudo moralis, sive tanta probabilitas quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat; quod evenit, si desit ratio probabilis in opposito. *In iudicio* vero, legitimo nempe, requiritur certitudo moralis stricte dicta; hanc enim intendit iudex interrogans. Cfr. Marc. n. 608; Lehmkuhl. n. 558. (n. 148.)

2º *Iudicium*, seu *discretio*, i. e. ut adsit iurandi causa, necessitatis vide-licet aut notabilis utilitatis; quia est contra reverentiam Deo debitam invoca-re Nomen eius ad vana et otiosa confirmando.

Iuramentum incautum *per se* non est mortale; quia non est gravis irreverentia; *per accidens* vero fit mortale, si quis gravem negligentiam committat in consideranda veritate et iustitia; quia tunc fit cum proximo periculo periurii aut iuramenti iniqui. Hanc ob causam graviter peccaminosa est consuetudo temere iurandi obvia quaeque, sine cura sitne verum an falsum quod iuratur. (n. 144. 145.)

3º *Iustitia* i. e. ut res, quae iuratur, sit honesta, nimirum ut res, quae assertur, licite revelari, vel ea, quam quis peragendam promittit vel sibi proponit, licite promitti vel proponi possit.

Defectus iustitiae: a) in iuramento *assertorio* probabilius per se est solum veniale peccatum; quia iuramentum *per se* non cadit in assertionem ut *mala*, sed ut *veram*; *per accidens* fit mortale, si iuramentum ipsum assumatur ut medium peccandi, v. g. ad firmandam gravem detractionem, quia nomen Dei assumere veluti medium ad iniuriam gravem proximo inferendam, gravem iniuriam Dei continet. — b) In iuramento *promissorio*, si promittatur res *graviter mala*, certo est peccatum mortale; quia gravis est iniuria Dei, velle eius auctoritate se obligare ad graviter peccandum. Si promittatur res *venialiter mala*, num sit peccatum mortale controversum est. S. Alfonso magis arridet sententia affirmans, quia,

si gravem irrogat iniuriam *veracitati* divinae, qui Deum invocat in testem mendacii levis, ille quoque, qui Deum invocat in fideiussorem levis peccati committendi, gravem iniuriam Dei *sancitati* irrogare censendus est. — Venialiter vero tantum peccat ille qui iurat aliquid contra consilia evangelica. (n. 146. H. A. n. 14.)

Hinc graviter illicitum est iuramentum promissorium, quod in societatibus nefandis praestari solet, et quo socii se obligant ad obtemperandum iis, quae a coetus superioribus iussa forte fuerint, vel ad servandum secretum etiam erga legitimam potestatem.

466. — Quaestiones. I. De iuramento ficto. QUAER. 1º An et quantum peccatum sit iuramentum fictum (i. e. sine animo iurandi) emittere.

Adest iuramentum fictum quando quis externe sese gerit ac si iurare intendat, deest vero animus iurandi; et probabilius etiam quando in iuramento promissorio deest animus sese obligandi vi iuramenti. (cfr. infra n. 470. qu. 1.)

Resp. Dist. 1º Si iuramentum fictum sive assertorium sive promissorium emittatur in confirmationem *veri*, per se probabiliter tantum venialiter peccatur; *peccatur*, quia semper est illusio quaedam testimonii divini (cfr. prop. 25. damn. ab Innoc. XI); *venialiter tantum*, quia nullum est iuramentum ideoque est tantum odiosa assumptio Nominis Dei; — *per se*, nam per accidens potest graviter peccari, si iuramentum fiat in contractibus vel coram iudice; quia tunc, licet non sit periurium, est tamen *gravis deceptio* contra iustitiam, cum alter ius habeat, ut iurans vinculo religionis teneatur.

2º Si emittatur in confirmationem *falsi* (quia aut res quae confirmatur iuramento ficto vera non est, ut in iuramento assertorio, aut deest animus implendi iurata, ut in iuramento promissorio), semper *grave* peccatum committitur, quia gravem iniuriam continet, Deum vel externe invocare in testem falsi vel in fideiussorem eorum quae non erunt. Cfr. Marc. ¹⁸ n. 607; Noldin. n. 252. (n. 172. H. A. n. 17.)

II. De iuramento cum restrictione mentali. QUAER. 2º An liceat iurare cum restrictione mentali.

Resp. Dist. Cum restrictione *pure mentali*, i. e. cum sensus totus in mente latet, numquam licet, quia est verum mendacium. Cfr. prop. 62 et 27. ab Innoc. XI damnatas.

Cum restrictione vero *sensibili*, i. e. cum sensus exterius perceptibilis est, licet ex iusta causa; quia tunc locutio externa vera est in sensu intento, etiamsi alter illam accipiat in alio sensu; qui error ex iusta causa permitti potest, extra contractus videlicet et legitimam iudicis interrogationem. Causa tamen gravior requiritur quam si adhibetur restrictio sine iuramento, ob reverentiam huic debitam. Cfr. Marc. n. 608. (n. 151, 152.)

Quandonam autem iudex *legitime* interroget, explicabitur infra n. 1240.

III. De iuramento fidelitatis. QUAER. 3º An licitum sit iuramentum fidelitatis Constitutioni politicae, quae nonnulla continet iuri divino aut ecclesiastico adversa.

Resp. Certo non est licitum, si iuramentum emittatur *pure ac simpliciter*; erit vero licitum, si expresse adiicitur vel aliunde publice nota est limitatio: «salvis legibus divinis et ecclesiasticis.» Ratio est, quia sine hac limitatione deficeret iustitia in iuramento. Colligitur etiam prius ex Brevi Pii VI *Charitas*

13 April. 1791 super *Constitutione civili Cleri Gallici*, et posterius ex Responso S. Poenit. 1. Dec. 1866. (*A. S. S. vol. 2. p. 675.*)

Recte notant nullam specialem expressam limitationem requiri quando agitur de legibus quae omnino in desuetudinem venerunt: quia iuramentum communiter censetur ad solas leges reipsa validas limitatum. (Cfr. Lehmkuhl, I. n. 568.)

Resp. Licitum erit, quando regnum pacifice possidet; quia, cum ipsi ob bonum commune parendum sit, licet quoque fidelitatem ei iurare, dummodo iuramentum se non porrigat ad leges iniquas. (*Lib. I. n. 94. Lib. 2. n. 74.*)

467. — **Nota pro praxi.** Ubi poenitentes rudes non apprehendunt periurii gravitatem, puta si confitendo iuramenta vera a falsis vix aut nullatenus distinguunt, praestat ut confessarius de *gravitate* periurii non moneat eos, quos praevidebat ob malum habitum probabiliter se non emendaturos esse; ne peccata materialia evadant formalia. Sunt tamen eiusmodi habituati fortiter admonendi, ut in posterum falsum iurare desinant. (n. 150.)

Articulus III.

Obligatio ex iuramento promissorio orta.

468. — **I. Natura obligationis.** *Iuramentum promissorium natum est propriam et specialem parere obligationem RELIGIONIS erga Deum, ad faciendum id quod iuratur.* Ratio est, quia reverentia Deo debita exposcit ut iurans faciat verum id, quod iuravit; patet etiam ex S. Scriptura, v. g. apud Matth. v. 33: « Reddes autem Domino iuramenta tua »; ex can. 1317. § 1 et 3.

II. Gravitas obligationis. *Obligatio iuramenti ex genere suo GRAVIS est:* propter reverentiam quam Deo debemus. Admittit parvitatem materiae, sicut votum, quia non implere iurata non est mendacium, sed infidelitas vel saltem inconstantia; ergo infractor non facit Deum testem mendacii, sed peccat contra reverentiam Deo debitam, quia laedit fidelitatem vel non servat propositum invocatione divini Nominis firmatum; infidelitas autem in promissis parvitatem materiae admittit, et est eo gravior vel levior, quo gravior vel levior res est de qua agitur. Cfr. Lehmkuhl. n. 562. — Minor autem est obligatio iuramenti quam voti. Cfr. S. Thom. 2. 2. qu. 89. a. 8. (n. 173. H. A. n. 13.)

III. Requisita pro obligatione. *Iuramentum ut obliget debet esse de opere honesto; hinc de opere ILLICITO aut OTIOSO nullam inducit obligationem.* Ratio est, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis, neque vanitatis.

Confirmatur can. 1318. § 2: « Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem. » Consonant Regulæ Iuris antiqui 58 et 69 in 6^a. Cfr. etiam can. 1319. 2^a, 1317. § 3.

Quocirca advertendum, iuramentum soli Deo factum non posse de re esse impeditiva maioris boni, quia Deo gratum non est: contra factum de opere honesto in favorem tertii, implendum esse quandocumque sine peccato fieri potest. (H. A. n. 18.)

IV. Habitudo ad alias obligationes. *Iuramentum non confirmat contractum quovis iure invalidum; sed per se stat, et inducit suam obligationem.* Ratio prioris est, quia iuramentum non aliam potest obligationem parere, quam sibi propriam, videlicet religionis. Ratio posterioris, quia potest dari iuramentum faciendi aliquid in futurum, sine ulla promissione seu contractu; qui enim asserit se aliquid facturum, non necessario illud promittit; consequenter, quamvis nullus sit contractus, iuramentum obligat ex religione ad verificandum quod dictum est. Obtinet v. g. si quis sciens nullitatem contractus iuraverit. (n. 17.)

Ob eamdem rationem, contractus rescindibilis iuramento non redditur *intrinsece* irrescindibilis. Unde v. g. iuramentum non revocandi testamentum vel legatum in alicuius favorem, non reddit illud *intrinsece* irrevocabile, ita ut revocatio foret invalida aut iniusta; sed iuramentum istud obligat virtute religionis ad non revocandum.

Notetur hic differentia inter obligationes iuramenti et obligationes contractus; iuramentum enim obligat ex virtute religionis, non confert alterius personale est iuranti ac proinde ad illius heredes non transit; contractus vero obligat ex iustitia, dat alteri ius strictum, transitque ad heredes contrahentis.

469. — Resolutiones. 1º In iuramento promissorio duplex requiritur veritas, scilicet veritas *assertionis* in praesenti, qua quis serio intendit exsequi quod iurat; deinde veritas *exsecutionis* in futuro, qua reipsa implet quod iuravit. Mendax in assertione est *periurus* proprio sensu; infidelis in executione non est proprio *periurus* (cfr. n. 468. II), sed tamen aliquando latiori et impropius sensu vocatur quoque *periurus*, quia detrectat veritatem *exsecutionis*. (n. 172. 174.)

2º Qui violat iuramentum, duo plerumque vel tria peccata specie distincta committit, unum contra obligationem *promissionis*, adversans fidelitati aut iustitiae; alterum contra obligationem *iuramenti*, adversans religioni; et tertium, si quando sit coniunctum cum voto ad Deum, contra obligationem *voti*, pariter adversans religioni, specie distinctum a peccato contra iuramentum, quia obligatio voti respicit Deum ut *creditorem*, obligatio iuramenti vero ut *testem* et *fideiussorem*.

3º Raro peccant parentes non impletentes iuramentum puniendi filios; quia plerumque non adest intentio iurandi, sed tantum terrendi, vel supervenit causa excusans, vel agitur de vindicta inordinata. (n. 186.)

4º Similiter iuramentum mercatorum non vendendi minoris, aut non emendi pluris, ordinarie non obligat; quia ut plurimum aut deest animus iurandi, aut iuramentum caret utilitate. Ita communiter.

470. — Quaestiones. QUAER. 1º An obliget iuramentum FICTUM.

Resp. Dist. 1º Certa sunt haec tria: a) Non obligat, quando deest intentio iurandi, cum tunc iuramentum non exsistat. b) Obligat, quando deest sola intentio consequendi, quia adest totum iuramentum promissorum; aut c) sola intentio promittendi: quia stat verum iuramentum de futuro, quamvis nulla sit promissio. In primo tantum casu habetur iuramentum fictum proprio sensu; duo posteriora tantum sensu latiori et impropprio iuramenta facta dicuntur.

2º Disputatur autem, quando adest intentio nullatenus se iuramento obligandi. *Prima sententia* probabilis affirmat obligationem; quia qui serio iurat se quidpiam facturum esse, nequit obligationem implendi excludere. *Secunda sententia* probabilius negat; quia obligatio religionis pertinet ad essentiam iuramenti de futuro: qui ergo illam excludit, revera non iurat. (n. 172. H. A. n. 17.)

QUAER. 2º An obliget in conscientia iuramentum VI vel METU gravi extortum.

Resp. Affirm., quia metus non impedit quominus iuramentum sit verum; ergo non potest obstare quin obligationem suam inducat. — Verumtamen metum passus potest, ante executionem, iuramenti relaxationem petere, et, si iam solverit promissum, occulte sibi compensare vel repetere in iudicio. Cfr. can. 1317. § 2. (n. 174.)

QUAER. 3º An obliget iuramentum ERRORE aut DOLO emissum.

Resp. Dist. Si error aut dolus versatur circa substantialia rei, invalidat iuramentum; quia deest verus consensus, etiamsi error vel dolus sit tantum concorditans.

Si versatur autem circa qualitatem accidentalem rei, certo tum irritatur iuramentum, cum qualitas est notabilis, dans causam iuramento; quia mutatio rei, quae post veniens tollit obligationem, praexsistens sufficit ad impedientiam obligationem. Porro notabilis censetur esse ea qualitas, quam si iuratus prænovisset, certe non iurasset; secus enim teneretur ultra intentionem suam. (n. 175. 187. 226. H. A. n. 18.)

Articulus IV.

Interpretatio iuramenti promissorii.

471. — Regulae. I. Iuramentum STRICTE est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur. Ita can. 1321. Et ratio est gravis quam in se continet obligatio, et violationis periculum si lata fieret interpretatio; odiosa quippe restringenda sunt.

Hinc: 1º Iuramentum praestitum circa materiam iuris, interpretandum est secundum limites iuris, nec ultra extendendum. Sensus est: si quis alioquin iure obligatus sit ad quidpiam faciendum vel omittendum, tunc iuramentum accedens se extendit ad ea tantum, quae sub iuris obligatione comprehenduntur; e. g. iuramentum Episcopi de non alienandis bonis Ecclesiae interpretandum est de alienatione quae sacris canonibus prohibita est; iuramentum testis, factum iudici, de dicendo omnia quae novit, non obligat ad revelanda occulta. (n. 183.)

2º Iuramentum de servandis statutis alicuius communitatis, intelligi debet de statutis editis dumtaxat, non de in posterum edendis, nisi secus exprimatur,

vel alia fuerit iurantis intentio. Item intelligitur secundum receptam consuetudinem communemque interpretationem. (n. 181.)

3º Iuramentum de servando secreto intelligitur, quatenus materia secretum postulat, sub gravi nempe vel sub levi.

4º Iuramentum bona fide praestitum non est extendendum ultra intentionem iurantis, verisimiliter praesumendam. Unde non est extendendum ad incognita, quae iurans non cogitavit, et quae in mentem si venissent, verisimiliter excepisset.

II. Iuramentum sequitur NATURAM et CONDITIONES actus cui adiicitur. Ita can. 1318. § 1. Ideo iuramentum secundum eadem interpretandum est. Ratio est, quia iuxta Regulam Iuris antiqui 42 in 6º: « Accessorium naturam sequitur principalis. » (n. 180.)

Hinc: 1º Si iuramentum mutuae promissione accedit, eam tacitam conditionem habet: *Si alter quoque promissis suis steterit; nam frangenti fidem fides frangatur eidem.*

2º Iuramentum confirmatorium voti sequitur conditiones voti, de quibus in capite IV. — Similiter iuramentum de servando secreto obligat secundum leges secreti, quas vide infra n. 1004. (n. 183.)

3º Qui sponsalia iuravit virgini diviti, sanae, bonae famae, si illa postea incidit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem, non obligatur iuramento, quia tunc ipsa sponsalia non obligant.

4º Iuramentum promissorium ante acceptationem promissarii a promittente libere revocari potest.

III. In omni iuramento promissorio, quamvis absolute facto, tacite quae-dam conditiones includuntur, videlicet: 1º si potero, tum physice, tum morali-ter, quia ad impossibile nemo tenetur; 2º nisi occurrerit causa legitimae relaxationis iuramenti. De hac relaxatione autem in art. sequ.

Articulus V.

Relaxatio iuramenti promissorii.

472. — Causae relaxationis. Obligatio iuramento promissorio inducta desinit: 1º Si remittatur ab eo in cuius commodum iuramentum emissum fuerat. (can. 1319. 1º.)

Iuramentum enim iuxta supra dicta (n. 471. II) sequitur naturam actus cui adiicitur; porro, obligatio promissionis a promissario remitti potest. — Imo quamvis promissio iurata *principaliter* facta sit *Deo*, si tamen res promissa cedat in utilitatem *hominis*, potest probabilitate ab illo homine remitti; quia eius consensus includitur in materia illius iuramenti tamquam conditio, sine qua impleri non debet. (n. 193.)

2º Si res iurata aut *substantialiter* mutetur, aut, mutatis adjunctis, fiat sive *mala* sive *omnino indifferens*, aut denique *maiis bonum impeditat*. (can. 1319. 2º.)

Ratio primi est, quia substantialis mutatio quasi diversum obiectum facit, ad quod iurantis intentio praesumitur se non extendisse: ratio secundi est, quia actus religionis, seu *Dei* invocatio, nequit inservire in vinculum iniquitatis aut vanitatis. Ratio tertii est, quia *Dei* invocatio nequit esse impedimentum honoris divini maioris. Si autem agatur

de re honesta in favorem tertii, ipse honor divinus postulat, ut iuramentum servetur; ipsa enim lex naturalis dictitat servandas esse promissiones honestas. (Cfr. supra n. 468. III.)

3º Si deficiat causa *finalis* aut *conditio* sub qua forte iuramentum datum sit. (can. 1319. 3º.)

4º Si *competens* persona iuramentum legitime relaxaverit, irritatione, dispensatione aut commutatione. (can. 1319. 4º.)

473. — Potestas iuramenta irritandi etc. Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eamdem potestatem eademque ratione habent circa iuramentum promissorium, hoc tamen moderamine, ut, dum *irritatio* iuramenti fieri possit etiamsi cedat in praeiudicium tertii, sicut et pro voto fieri potest, *dispensatio* (sicut et *commutatio*), si vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, ab una Apostolica Sede concedi possit propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae. Cfr. can. 1320; cfr. etiam supra n. 470. qu. 2. (n. 189. 192.)

De cetero, *quinam* in specie possint irritare, dispensare, commutare, et quae sit horum actuum natura, patebit infra n. 488 *sequ.*

CAPUT III.

DE ADIURATIONE

474. — I. *Notio* et *divisio*. Adiuratio est actus quo aliquem sub invocatione Dei vel personae aut rei sacrae inducere annitimus, ut aliquid faciat vel *omittat*. Cfr. 2. 2. qu. 90.

Distinguitur: 1º *solemnis* seu *publica*, quae fit *nomine Ecclesiae* a ministris eius cum forma ab Ipsa instituta; *privata*, quae tales solemnitatem non habet ideoque fit *nomine proprio*.

2º *Deprecativa*, cum aliquem deprecamus ut postulata concedat; *imperativa*, cum aliquid imperamus. Utimur adiuratione deprecativa erga Deum, Sanctos, et homines: sic Ecclesia facere solet in publicis orationibus: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*. Imperativa vero competit Superioribus erga subditos, ea que sola uti possumus in daemones. Adiuratio in daemones vocatur *exorcismus*. (n. 193. App. n. I.)

II. Obiectum adiurationis. Sola entia rationalia adiurari possunt. Ratio est quia sola amore vel timore moveri possunt ad aliquid faciendum vel *omittendum*. Cum vero sal et aqua exorcizantur, revera non ipsa, sed Deus et daemon adiurantur: Deus adiurbatione deprecativa, ut in illarum rerum usu favores praestet; daemon adiurbatione imperativa, ut fugiat et a nocendo desistat. Similiter adiurantur mures, nubes, grandines et alia nocentia, non absolute in seipsis, sed ut dictum est relatione ad Deum et daemonem, ut Deus nocentia illa non permittat, neque daemon illis utatur ad nocendum. (l. c. n. III.)

475. — III. Conditiones omnis adiurbationis. Ut adiuratio quaevis sit licet a tria requiruntur, sicut in iuramento, scilicet: 1º *Veritas*, id est, ut adiurans

vere intendat assequi quod petit, et vera sit causa ob quam petit. Carentia autem huius veritatis raro erit plus quam venialis, ut si fictus pauper per Deum petat eleemosynam. 2º *Iustitia*, ex cuius carentia certe graviter peccaret rem petens graviter malam; imo, probabilius etiamsi petat rem leviter malam, quia satis gravis videtur irreverentia, inducere alterum ad rem malam ope divinae auctoritatis. (Cfr. supra n. 465. II.) 3º *Iudicium*, id est, debita discretio, cuins carentia certe non est nisi venialis. (*l. c. n. II.*)

IV. Conditiones exorcismi. Exorcismus ut fiat licite, tria servari debent: 1º ne fiat obsecrando, sed *imperando*; tum quia Ecclesia speciale accepit a Christo potestatem in daemones, ut patet ex Luc. ix. 1 et Marc. xvi. 17; tum quia deprecatio esset signum submissionis et societatis cum illo, quae prorsus illicitae sunt cum infensissimo Dei hominumque inimico. 2º Ut fiat *ex solo fine fugandi daemonem*, eumque impediendi ne noceat; quia ad hunc solum finem Christus potestatem in daemones concessit. 3º Ut fiat a legitimo Ministro Ecclesiae, secundum formam ab Ecclesia praescriptam, si sollemniter fiat et *publice* seu nomine Ecclesiae; privatim namque, sine forma ab Ecclesia instituta, omnibus licet daemones exorcizare. (*l. c. n. IV. V; Praxis Conf. n. 113.*)

V. Ministri legitimi exorcismi sollemnis sunt ii tantum qui potestate tum ordinis tum iurisdictionis ad peragendum eum instructi sunt. Potestas ordinis accipitur in ordinatione Exorcistarum; quoad potestatem vero iurisdictionis distinguendum est inter exorcismum *proprie dictum* (ad expellendum daemonem ab obsessis) et *late dictum* (ad influxum daemonis compescendum, ne personis vel rebus noceat.)¹⁾ Porro:

1º Exorcismus *in obsessos* a nemine legitime proferri potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit. Haec licentia autem ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito; qui ad exorcismos ne procedat nisi postquam diligenter prudentique investigatione compererit exorcizandum esse revera a daemonie obsessum. 2º Exorcismi vero huiusmodi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos et excommunicatos. (can. 1151. 1152.)

2º Ministri exorcismi contra *influxum* daemonis, si agatur de exorcismis qui occurrunt in Baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus, sunt iidem qui eorumdem sacrorum rituum legitimi ministri sunt. (can. 1153.) Exorcismus in Rit. Rom. tit. XI. cap. 3 traditus, ab Episcopis, neenon a sacerdotibus qui ab Ordinariis suis ad id auctoritatem habeant, recitari potest, ut ibidem declaratur.³⁾

VI. Effectus exorcismi sollemnis quantum ad effectum *expulsionis* daemonis non semper adest infallibiliter et quasi ex opere operato; quia Christus non con essit Ecclesiae potestatem tam absolutam in daemones, ut patet ex Matth. xvii. 18. 19. et experientia confirmat. Concedendum tamen est, eum semper aliquid proficere, attenuando saltem daemonum vires ad nocendum. (*l. c. n. VII. in fine.*)

Effectus exorcismi privati pendet ex variis circumstantiis a parte divinae Providentiae et a parte adiurantis.

¹⁾ Cfr. Prümmer II. n. 163.

²⁾ Quomodo daemonis obsessio dignosci possit, exponitur in Rit. Rom. tit. XI. cap. I. n. 3. Quaenam liebeat querere a daemonie, vide apud S. Alfonsum. *l. c. n. 5.*

³⁾ Cfr. Coll. de Prop. Fide n. 2306, ubi formula longior, iussu Leonis XIII edita.

CAPUT IV.

DE VOTO

Ordo tractandorum erit: 1º notio voti; 2º quaenam ad voti essentiam requirantur; 3º quae sit voti obligatio; 4º quomodo ea relaxetur.

*Articulus I.***Notio voti.**

476. — I. **Definitio.** Votum est promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliori. (can. 1307. § 1.) Singula elementa explicabuntur in art. II. — Votum est actus latriae; est enim ordinatio eorum quae quis vovet in honorem Dei: ordinare autem in honorem Dei religionis est. (2. 2. 88. 5.)

II. **Divisio.** Votum est: 1º *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur; secus *privatum*. (can. 1308. § 1.)

2º *Sollemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnatum; secus est *simplex*. (can. 1308. § 2.)

3º *Reservatum*, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest; secus est *non reservatum*. (can. 1308. § 3.)

4º *Personale*, quo actio voventis promittitur: *reale*, quo promittitur res aliqua; *mixtum*, quod personalis et realis naturam participat. (can. 1308. § 4.)

5º *Absolutum*, quod simpliciter et sine conditione emittitur; *conditio-nale*, cui apponitur conditio aliqua suspensiva obligationis, donec ipsa impleatur, v. g. voves peregrinationem, si pater convaluerit. Quocirca adver-tendum est, propter conditiones *ex natura rei* aut *ex dispositione iuris* voto insitas votum non fieri conditionale; sed solum propter conditionem additam *ex intentione voventis*. Huic accedit *votum poenale*, cum quis poenam vovet si quid fecerit, e. g. eleemosynam vovet, si se inebriaverit; item votum *disiunc-tivum* faciendi unum vel alterum.

*Articulus II.***Requisita ad votum.**

Quaedam requiruntur a parte actus, quaedam a parte materiae.

§ I. - A PARTE ACTUS.

477. — A parte actus, votum est *promissio deliberata ac libera facta Deo*: ideo ad substantiam eius requiritur: 1º **VOLUNTAS SE OBLIGANDI**: haec quippe intrinsece pertinet ad omnem promissionem.

Notes: a) ille qui *vult promittere*, implicite vult obligari, quia impossibile est voluntatem simul velle repugnantia; nisi tamen interveniat ignorantia, eo modo quo statim sub c. dicemus, aut expressa intentio non se obligandi: tunc probabilius nullum esset votum, quia vovens apponenteret conditionem contra substantiam actus. (n. 201. H. A. n. 21.)

b) Nudum *propositum faciendi* aliquid in honorem Dei, quantumvis efficax sit, non est votum, neque ex se obligationem inducit; quia voluntas proponentis se extendit tantum ad *faciendum*, non ad se *obligandum*. Quod attinet ad *propositum vitandi peccatum*, illud obligat ex obiecto suo, non ex *proposito*. (n. 199. H. A. n. 21.)

c) *Ignorantia obligationis* voti illud irritum facit, quia tunc ipsa substantia voti ignoratur; ergo illud non est voluntarium. Excipe, si vovens velit promittere eo modo, quo alii vovent; quia tunc implicite vult obligationem, quam ignorat. (n. 201.)

d) Votum *fictum*, sine animo promittendi aut se obligandi, ordinarie non est nisi veniale, propter quamdam irreverentiam erga Deum. Verum in professione religiosa et in susceptione Ordinis sacri, procul dubio esset mortale; quia esset deceptio in re gravissima. (n. 201.)

478. — 2º SUFFICIENS COGNITIO obiecti voti; secus enim non est missio *deliberata*. Unde *error* impedit valorem voti, si versatur circa *substantialia* voti, uti sunt materia eius et causa finalis; quia talis error tollit voluntatem vovendi, cum nihil sit magis contrarium consensui quam error. Quod valet, etiamsi error fuerit tantum concomitans, aut quantumcumque crassus.

Error vero *accidentalis* non impedit valorem voti, excepto casu quo ageretur de circumstantia, accidentalí quidem, sed sat magni momenti in voto privato, qua circumstantia cognita votum emissum non fuisset. Cfr. Marc. n. 625. 3º. (n. 198. 226.)

Haec de voto *privato*; nam vota *publica*, Religionis scil. et votum castitatis in susceptione Ordinis sacri emissum, non sunt irrita ob ullum errorem, nisi substantialiem circa substantiam votorum, sicut matrimonium; neque ob ullam circumstantiam supervenientem non praevisam cessare, aut irritari, aut privata auctoritate commutari possunt; tum quia professio religiosa est velut matrimonium spirituale; tum ob bonum commune, ad scandala vitanda. (*Lib. 4. n. 6. 7. 50; Lib. 6. n. 1010-1012.*)

479. — 3º LIBERTAS eaque talis, qualis exigitur ad actum vere humānum, vel ad peccandum mortaliter. Votum namque est quidam contractus inter hominem et Deum, quo ille imponit sibi obligationem ex genere suo gravem, quam si postea transgrediatur, peccabit per se mortaliter; ergo necesse est ut in assumenda tali obligatione utatur tanta libertate, quanta ad mortaliter peccandum postulatur, neque quis censemur velle seipsum obligare nisi cum perfecta illa libertate. Cfr. etiam can. 1307. § 2. (n. 196.)

Hinc: 1º votum emissum ex metu aliave passione tali quae tollit libertatem vel eam semiplenam reddit, irritum est. Cfr. supra n. 20. II.

2º Votum vero ex metu tali, qui solum minus maturam reddit deliberationem: a) si fit ex metu *ab intrinseco* incusso, omni iure est validum; quia tunc votum libere eligitur uti medium aptum ad imminens malum vitandum. — b) Factum ex metu *ab extrinseco* at *iuste* incusso, pariter est validum; quia nulla fit iniuria voventi, et metus per se non tollit perfectum voluntarium. — c) Factum ex metu *ab extrinseco* et *iniuste* incusso ad extorquendum votum, spectato iure *naturae* iuxta alios quidem valet, quia metus per se non tollit perfectum voluntarium; iuxta alios vero non valet, quia Deus tale votum censetur non acceptare, ne viam iniustae coactioni sternat eive robur adiicere videatur; idque iuxta aliquos verum esset, etiamsi de metu levi ageretur. Cfr. Marc. 625. 4º; Vermeersch. n. 209; Noldin. n. 210. (n. 197.) — Ex iure vero *ecclesiastico* «votum metu *gravi* et *iniusto* emissum ipso iure est nullum». (can. 1307. § 3.)

4º Promissio **FACTA DEO**; quia votum est actus latriae. Unde promissiones Sanctis vel Praelatis factae in tantum sunt vota, in quantum homo simul promittit Deo se impleturum esse quod Sanctis vel Praelatis promittit. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 88. *a.* 5. *ad 3.*

480. — QUAESTIO. *Quid iudicandum in DUBIO circa voti requisita.*

Resp. In dubio num defuerit *plena advertentia* aut *plenus consensus*, *intentio* aut *cognitio obligationis*, valet votum; quia, si constat votum factum fuisse, valet regula: «*Omne factum praesumitur rite factum;*» insuper *ex communiter contingentibus* *prae*s*umptio* stat pro debita deliberatione et cognitione (n. 196. 201.)

In dubio autem utrum quis *propositum* fecerit an *votum*, possidet libertas; excepto casu, quo quis recordatur se credisse, dum promitteret, graviter se peccaturum, si promissionem non impleret, quia tunc recte arguitur voluisse voti *obligationem* sibi imponere. (n. 201. H. A. n. 21.)

§ II. - A PARTE MATERIAE.

481. — A parte materiae, votum est promissio *de bono possibili et meliori*. Ideo materia, circa quam versatur, ut votum licitum et validum sit, tres requirit conditiones; ut sit nimirum: 1º *opus voventi possibile* physice et moraliter; quia nemo potest obligari ad impossibile; — 2º *opus bonum*; quia promissio Deo facta debet esse de re, quae confert ad divinum obsequium et honorem; alter Deo placere non potest, neque consequenter ab illo acceperari; sine acceptatione autem promissio non valet; — 3º *bonum melius suo contradictorio*, e. g. melius est dare eleemosynam quam non dare; votum enim a meliori bono retrahens, Deo acceptum esse nequit. (n. 202.)

482. — Resolutiones. 1º Ex defectu **PRIMAE** conditionis, invalidum est **votum** numquam ne venialiter quidem peccandi; quia hoc impossibile esse, sine speciali Dei privilegio, definivit Conc. Trid. sess. 6. can. 23. Valet autem **votum** vitandi **omnia mortalia**, vel **omnia venalia** plene deliberata; cum hoc revera non sit impossibile, et personae perfectionis amantes illa satis evitent. Votum

porro abstinendi a venialibus in aliqua materia determinata vel faciendi semper id quod perfectius est, validum erit in personis magnae virtutis; in aliis vero modicae virtutis erit materia impossibilis; imo in aliquibus materiis, puta cogitationum in honestarum, otiosarum etc., quae a nemine vitari queunt, omnibus erit materia impossibilis. (n. 203.)¹⁾

2º Ex defectu SECUNDÆ conditionis, nullum est votum de opere, quod vergit in manifestum periculum valetudinis: v. g. maceratio proprii corporis non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis; tale autem est in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refraenetur, et natura non nimis gravetur; unde sub tali tenore tantum possunt huiusmodi sub voto cadere. Deinde vota de rebus vanis et inutilibus sunt magis deridenda quam servanda. (n. 204. S. Thom. 2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.)

3º Ex defectu denique TERTIAE conditionis, irrita sunt vota consiliis evangelicis opposita, v. g. votum contrahendi matrimonium; quia eius oppositum est melius, nempe status religiosus et perpetua observantia castitatis. Excipe tamen casum, quo matrimonium caderet sub praecepto, v. g. ad legitimandam prolem ex fornicatione genitam, ad scandalum reparandum, ad consulendum honori pueræ, ad remedium necessarium incontinentiae pro eo qui nolleat alia remedia adhibere; item, si quis matrimonium inire iam destinavit, et ex caritate voveret pueram pauperem ducere. (n. 207. 209; lib. 6. n. 75.)

483. — Quaestiones. QUAER. 1º *An teneat votum de re partim possibili, partim impossibili.*

Resp. Nisi alia sit intentio voventis, valet pro parte possibili, si materia divisibilis sit; v. g. si coniux castitatem voveat, tenetur ad non petendum debitum. Ita etiam valet votum, si principale illius possibile sit, licet accessorium sit impossibile; non tamen e converso. (n. 202.)

QUAER. 2º *An valeat de bono opere, sed propter malum finem.*

Resp. Dist. Negat., si materia voti promittatur propter malum finem, e. g. vovet quis eleemosynam ad obtainendam vindictam de inimico vel victoriam iniustum, aut iejunium ut ex *actione ieunandi* laudem capiat; quia tunc finis inficit totam materiam voti, dirigitur siquidem opus bonum ad malum finem, a quo participat eius malitiam.

Affirm., si *actio vovendi* procedat ex malo fine, e. g. aliquis ambitione ductus aut parentum molestias pertaesus vovet Religionem, vel quis vovet coram aliis iejunium ut ex *actione vovendi* laudem capiat; quia tunc finis inficit solam voluntatem voventis, non autem materiam voti. Cfr. Salm. tr. 17. c. 1. n. 65. sequ. (n. 206.)

QUAER. 3º *An opus PRAECEPTUM possit esse materia voti.*

Resp. Affirm., quia haec materia non tantum est melior suo opposito, verum unice placens Deo; neque repugnat aliquem pluribus titulis ad idem opus teneri; hinc tale votum Deo certo gratum est. (n. 213.)

¹⁾ Cfr. N. Rev. Théol. 1933. p. 620. *Le voeu du plus parfait.*

*Articulus III.**Voti obligatio.*

484. — I. Gravitas obligationis. *Voti obligatio EX GENERE SUO GRAVIS est.* Ratio, quia est obligatio fidelitatis Deo debitae, pertinens ad virtutem religionis. Hinc in Eccl. v. 3: « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde »; et Prov. xx. 25: « Ruina est homini... post vota retractare ». Violatio ergo voti per se est peccatum mortale, quando versatur circa materiam gravem; veniale, si materia levius est. Cfr. etiam can. 1307. § 1. (n. 311.)

II. Fontes gravitatis obligationis. Gravitas vel levitas obligationis voti oriri potest vel a parte materiae voti vel a parte intentionis voventis. Porro: 1º Levitas vel gravitas obligationis a parte materiae ex prudenti arbitrio aestimanda est, tum pensando magnum vel exiguum cultum Dei, quem continet; tum comparando ad alias leges, utrum materia sit talis ut sub gravi per legem praeciperetur, necne. (Suarez. *De voto. lib. 5. cap. 4. n. 14.*)

2º In voventis arbitrio est, dum vovet, gravitatem obligationis *restringere* ita ut, si in materia gravi intendat se obligare solum sub veniali, votum gravius non obliget. Ratio est, quia votum est quaedam lex privata; ergo, si potest legislator rem gravem sub levi praecipere, idem poterit vovens facere dum sibi legem imponit. (n. 213.) — E contrario, in materia undequaque levi non potest votum ex intentione voventis sub mortali obligare, siquidem materia levius non est tantae obligationis capax, et votum esset potius in laqueum quam in profectum animae. (n. 211.)

Haec intelligenda sunt de votis *privatis*: circa vota namque *publica*, coram Ecclesia emissis, cum illa non a solo vovente, sed simul a voluntate Ecclesiae dependeant, non est in potestate voventis illorum obligationem restringere. (Suarez. *lib. 4. cap. 4. n. 14.*)

III. Subiectum obligationis. Distinguendum est inter votum personale et votum reale vel mixtum. Porro: 1º *Votum PERSONALE obligat ipsum voventem eumque solum.* Ratio est, quia res promissa est actio propria, non vero alterius; et ideo obligatio voti est personalis.

Idcirco a) tale votum non potest per alium impleri, et b) nemo potest voto suo alium *ex voto* obligare; unde, si Communitas aliquid voverit, in quod posteri non consenserint, hi non tenentur *ex voto* id servare, sed interdum *ex quodam pacto, statuto, vel longa consuetudine* obligantur. (n. 213. 216.)

2º Vota REALIA et MIXTA PRO PARTE QUA REALIA SUNT: a) possunt per alium adimpleri, cum eorum materia non sit actio, sed res; oportet tamen ut ex proprio solvantur, et si quis *ex suo* non posset, emendicare non tenetur. Quin etiam, licet posset ex proprio solvere, si tamen aliis *pro ipso* cum eius

consensu solvat, impletio valet: quia tunc quod alter dat, fit ipsius. (*n.* 217.) — *b)* *Debent ab heredibus pro viribus hereditatis persolvi*, prout statuitur in can. 1310. § 2: *Voti realis obligatio transit ad heredes; item obligatio voti mixti pro parte qua reale est.* Porro solvi debent ante legata, sed post alia debita iustitiae; ante legata, quia haec sunt libera et gratiosa; post alia debita, quia votum ex bonis alteri debitibus Deo gratum esse nequit.

Obligatio ista iuxta omnes est obligatio ex *iustitia* eaque ex ipso iure naturali, si tertius, in cuius favorem votum emissum fuerit, illud acceptaverit, vel si vovens onus implendi votum heredi expresse imposuerit. Secus iuxta alios est obligatio *religionis* tantum, idque sive ex *natura rei* (ita fere Lehmkuhl. *n.* 605.) sive ex sola dispositione *iuris canonici* (ita Vermeersch. *n.* 218.); iuxta alios vero semper est obligatio *iustitiae*, idque ex ipso etiam iure naturali, scil. ex quasi-contractu, ipsa hereditatis aditione inita; ita tenet v. g. Suarez. *de relig. tr. 6. lib. 4. c. 11. n. 7*; item, ut videtur, Billuart. *diss. 4. a. 3. § 4. Dico 2*; Salm. *tr. 17. c. 1. n. 123*; et ipse S. Alfonsus *n.* 214.

IV. Interpretatio obligationis. *Voti obligatio interpretanda est secundum regulas interpretationis legum, et secundum regulas systematis moralis.* Ratio est, quia votum habet veram rationem legis, quam vovens sibi metipsi imposuit.

V. Tempus exsequendi obligationem. *Votum impletendum est CUMPRI-MORALITER impleri potest:* nisi vovens certum tempus praefixerit. Ratio est quia in vovendo, quando vovens certum tempus non praefixerit, sic moraliter quisque censemur intelligere suam promissionem ut, habita commoditate, non nimis diu differat. Patet etiam ex Deuter. xxiii. 21: «Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum». (*n.* 221.)

485. — Quaestio. *Quaenam DILATIO EXSECUTIONIS sit mortalis in votis sine temporis prae*it*utione emissis.*

Resp. Distinguendum inter vota, quae temporis dilatione minuuntur, et ea, quae dilatione non minuuntur, sed integra exsecutioni mandanda erunt. Hinc: si votum continet *perpetuum* Dei obsequium, ut votum ingrediendi Religionem, gravis aestimatur dilatio ultra dimidium annum, sine iusta causa; quia tunc demitur pars notabilis promissi Deo obsequii. Quando vero iusta dilationis causa adest, cavendum est ne dilatio evadat *nimia*, aut periculum oriatur votum numquam implendi; quod periculum non raro evenit in voto Religionis, contra cuius exsecutionem daemones innumera excitare solent impedimenta. (*n.* 221.)

Si contra votum obsequium *temporale* tantum continet, ut vota ieuniorum, peregrinationum etc., plerique DD. merito censemur dilationem ad duos tresve annos, sine iusta causa, esse peccatum mortale; quia tanto tempore exsecutionem differre contra voluntatem Dei, qui est creditor, gravem inordinationem continet. (H. A. *n.* 33.)

486. — Resolutiones. 1º Qui vovit ieunium, illud servare tenetur secundum formam ieunii ecclesiastici et morem Ecclesiae. Unde, qui vovit ieunium:

a) singulis fériis sextis aut sabbatis, si tali die incidat Natalis Domini, non tenetur iejunare, nisi expresse contrarium intenderit; b) per integrum mensem, non obligatur diebus Dominicis. (n. 224.)

2º Qui vovit: a) Sacrum audire quotidie per mensem, non tenetur in Dominicis et Festis duo Sacra audire; quia intentio fuisse censetur nullum diem transire sine Missa; b) Rosarium, et dubitat utrum totum an tertiam partem tantum, satisfacit tertiam partem recitando, quia et hoc communiter Rosarium appellatur. (n. 224.)

3º Votum indeterminatum: a) quoad *tempus*, obligat perpetuo, nisi aliud colligatur ex circumstantiis; in dubio utrum votum fuerit ad annum an ad mensem, minimum est sequendum (n. 221.); b) quoad *qualitatem* aut *quantitatem rei* promissae, illa relinquit rationabili arbitrio voventis.

4º Qui vovit dare quotidie parvam eleemosynam tamquam partem notabilis summae quam quis erogare intendit, si aliquamdiu omittat, materia coalescit, et tenetur supplere; quia materia censetur promissa *ad modum unius*, nisi de alia expressa intentione constet. Contra, qui vovit eleemosynam singulis sabbatis in honorem Beatae Virginis, aut quotidie recitare eius Litanias, non tenetur pro diebus omissis supplere, neque materia coalescit; quia tunc opus promissum censetur tamquam *proprium onus diei*. (n. 212.)

5º Qui opus promissum praestat, at voti immemor, voto satisfecit: unusquisque enim generalem voluntatem habere praesumitur prius satisfaciendi obligatiibus. Hoc itaque non valet, si vovens certus sit, quod, si voti memor fuisset, pro illius satisfactione non applicasset opus illud. (n. 224. 700. qu. 2; Lib. 1. n. 30.)

6º Certus de voto, sed dubius de impletione, manet obligatus; quia, ubi debitum est certum, et solutio non probatur, obligatio manet, nisi rationabiliter praesumingere possit se satisfecisse. Contra, qui opus praestitit, sed dubitat num valide per illud satisficerit voto, iudicare debet pro valore actus. (H. A. n. 31.)

Articulus IV.

Voti relaxatio.

Votum cessat aut *ipso facto* sine interventu humanae voluntatis seu ab *intrinseco*: aut *interveniente voluntate hominis*, qui voti obligationem tollit, seu ab *extrinseco*. De utroque modo seorsim dicemus.

§ I. - CESSATIO VOTI IPSO FACTO, SINE INTERVENTU HUMANAEE VOLUNTATIS.

487. — Hoc modo votum cessare potest lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet, aut eiusdem causa finali. Cfr. can. 1311. Singula explicanda sunt. Cessat ergo votum ipso facto:

1º **LAPSU TEMPORIS AD FINIENDAM OBLIGATIONEM APPOSITI.** Ubi haec nota: a) aliquando tempus tantummodo apponitur ad *sollicitandam exsecutionem* ne diutius differatur; tunc autem votum elapsa tempore non cessat, quia in casu circumstantia temporis est pars mere secundaria voti. — b) Solet autem tempus esse appositorum ad *finiendam obligationem*, quando deter-

minatum est ob rationem ipsi tempori propriam, v. g. iejunium pridie festi Beatae Virginis. Ratio est, quia tunc circumstantia temporis aequae principalis est ac res promissa, ideoque voto contexta: vovens enim tunc intendit opus promittere pro illo die, et non pro alio. — Quod si *dubium* sit utro modo tempus appositorum fuerit, recurrendum est ad *praesumptionem*. Porro in votis *personalibus* dies *praesumitur* appositus ad finiendam obligacionem; contra vero in votis *realibus* (n. 220).

2º MUTATIONE SUBSTANTIALI MATERIAE PROMISSAE; prout obtinet si materia iam fit illicita, vel maioris boni impeditiva, vel impossibilis, vel inutilis; imo etiam cessat votum si superveniat circumstantia accidentalis quidem sed notabilis, qua praevisa votum emissum non fuisset; haec enim mutatione mutationi substantiali merito aequiparatur. Excipe, si cessationi *ipso facto* obstet ratio boni communis. Cfr. Marc. n. 635; Billuart. *De relig. diss.* 4. art. 8.

Unde resolves: a) Dives vovit templum aedificare: postmodum vero gravem patitur iacturam opum, quae voti execucionem reddit difficultem; voto ergo non tenetur, nisi forte ad pristinum statum redeat.

b) Qui vovit virginem aliquam inopem ducere, quae honesta putabatur, si constet eam iam non esse talem, voti obligatione amplius non tenetur.

c) Vota professionis religiosae, sive sollemnia sive simplicia, et votum castitatis Ordini Sacro adnexum, ob nullas materiae mutationes cessant, cum statum irrevocabilem constituant, et sic exigat bonum commune Ecclesiae. (Lib. 4. n. 50.)

3º DEFICIENTE CONDITIONE A QUA VOTUM PENDET AUT EIUSDEM CAUSA FINALI; unde quando vovit aliquis quotidie Rosarium per mensem pro patris salute impetranda, sed post hebdomadem pater moritur, statim a voto liberatur.

§ II. - CESSATIO VOTI EX VOLUNTATE HOMINIS.

Votum cessat *interveniente voluntate hominis* seu *ab extrinseco*, quoties habetur legitima voti *irritatio*, *dispensatio*, aut *commutatio*. Quia autem de hisce tribus modis plura dicenda occurunt, de iis in distinctis punctis agemus.

Punct. I. *Irritatio voti.*¹⁾

488. — **Notio et divisio.** Irritatio dicitur voti relaxatio facta nomine proprio ab eo, a cuius voluntate votum dependet. — Dicitur *nomine proprio*, ut distinguatur irritatio a dispensatione quae fit nomine Dei; irritatio vero fit nomine proprio ob ius quod quis habet sive in *personam* votantis sive in *materiam* voti, et quo votum ab eius voluntate pendet.

Duplex ergo est dependentia voti a voluntate alterius; alia est per *personam* voventis, quando haec ex conditione sua integre alterius potestati dominativae subiecta est, ita ut

¹⁾ Überiorem horum explicationem dedimus in *Apollinaris* 1928. p. 469; 1929. p. 53. 306. 495; 1930. p. 109.

sine Superioris consensu non possit *firmiter* se obligare, uti locum habet in statu impubertatis, Religionis et matrimonii; alia per *materiam voti*, quando haec est sub alterius potestate sive dominii sive iurisdictionis, ut locum habet respectu quorumcumque Superiorum.

Hinc duplex quoque nascitur voti irritatio: *alia directa et proprie dicta*, quae fit ab habente potestatem in personam, et fertur in ipsum votum, quod vere *annullando* de medio tollit; *alia indirecta et impropre dicta*, quae fit ab habente potestatem in materiam promissam, et fertur in hanc solam, impediendo seu *suspendendo* executionem illius. (n. 227. 241. 241. Wernz. III. n. 583.)

489. — Regulae generales. I. CIRCA IRRITATIONEM DIRECTAM. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota *valide*, et ex iusta causa etiam *licite* irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea *reviviscat*. (can. 1312. § 1.) Ratio cur votum semper valide irritetur est, quia votum iam non esset honestum, si limitaret ius alterius; unde semper adest tacita conditio: *nisi Superior contradixerit*; ratio cur requiratur iusta causa est, quia non decet aliquem sine tali causa exercere suam potestatem dominativam, in detrimentum maioris boni; ratio cur obligatio non reviviscat est, quia irritatio directa ipsum actum voluntatis in vovente invalidum reddit. (n. 27. 228. 241.)

Notes tamen potestatem directe irritandi omnia vota iuxta plures in tota sua amplitudine et prout sese extendit etiam ad vota de actibus mere internis perficiendis non a solo iure naturali, verum etiam a iure positivo Ecclesiae provenire atque ampliari, quatenus Ecclesia consensu suo potestatem illam etiam ad talia vota extendit, atque haec etiam vota minus firma esse voluit, ideoque Superioribus ius concessit etiam hisce votis contradicendi cum effectu irritativo. Cfr. Vermeersch. *Qu. de Virt. religionis et pietatis*. n. 135; Lehmkuhl. n. 607; Marc.¹⁸ n. 638. *nota 1*.

II. CIRCA IRRITATIONEM INDIRECTAM. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tamdiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi praiejudicium afferrat. (can. 1312. § 2.) Ratio est quia votum non est honestum, si non attendat ad ius tertii. Quia vero in casu ius tertii tantum versatur circa *materiam voti*, non potest quis votum suspendere nisi praecise in quantum et quamdiu ius habet in talem materiam, secus non tantum illicite sed et invalide procederet.

490. — Regulae speciales. I. CIRCA VOTA FILIORUMFAMILIAS. 1º Vota ab *impuberibus* emissa directe irritare potest pater; eo defuncto, tutor; quo deficiente, avus paternus; impuberis enim, propter imbecillitatem rationis, omnino dependent a parentibus. (n. 229.)

Utrum *mater*, praesente patre vel tutore, possit filiorum vota irritare disputatur. Plures DD. negant, quia solus pater est caput familiae. Hanc sententiam S. Alf. n. 230 probabilem vocat. Sed in H. A. n. 36 sententiae

affirmativaes prorsus assentit, nisi pater vel tutor contradicat; quia filius debet obedientiam etiam matri, quamvis cum subordinatione ad patrem vel tutorem: ergo eo modo voluntas filii est in potestate etiam matris.

Quocirca observandum est, votum factum in aetate impubere irritabile esse et semper manere in pubere aetate; quia votum illud semper retinet suam primitivam infirmitatem; nisi tamen filius pubes factus, conscient huius irritabilitatis, votum confirmaverit. Quod si ignoret irritabilitatem, non intendit votum *confirmare*, sed *servare* tantum. (n. 238.)

Praeterea, in dubio utrum votum sit emissum ante an post pubertatem, an confirmatum fuerit, in possessione manet paterna potestas. (n. 229.)

2º Vota a *puberibus* emissa vel firmata quamdiu non sunt exempti a patria potestate, *saltem indirecte* irritari possunt; proinde saltem quatenus paternae administrationi et domestico regimini *praeiudicium* afferre possunt. (n. 229.)

Sunt qui censeant, praesertim post Codicem promulgatum, vi patriae potestatis omnia vota minorennum, etiam in pubertate emissa, directe quoque irritari posse, quum can. 89 diserte dicat minorennum in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxium manere iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.¹⁾ — Alii vero id non admittunt²⁾; et ratio est, quia, adepta pubertate, praesumitur filius habere discretionem ad vovendum requisitam, fitque sui iuris quantum ad divinum obsequium. Accedit quod secus etiam fere inutile fuisset in can. 1309 pro minorenibus post decimum octavum aetatis annum votorum *reservationem* statuere; quum tunc ista vota multo facilius irritatione directa auferri potuissent. Canon autem 89 sufficienter explicatur de potestate indirecta; hinc nulla urgens videtur esse ratio discedendi a doctrina ante Codicem communiter recepta. Cfr. 2. 2. *qu.* 88. *a.* 8. *ad* 2.

491. — II. CIRCA VOTA RELIGIOSORUM. 1º Vota *ante professionem religiosam* emissa ipso facto suspenduntur donec vovens in religione permanserit. Cfr. can. 1315. (n. 237. 346.)³⁾

2º Vota *post professionem religiosam* emissa *directe* irritari possunt cum a S. Pontifice, quatenus est summus praelatus religiosorum, etiam quatalium: tum ab omni Superiori in religiosos potestatem dominativam habente; unde etiam a Superiorissa erga religiosas suas.⁴⁾ Excipiuntur: *a)* vota, quae statum religiosum constituunt; ab ipsis enim oritur irritandi potestas; *b)* vota professioni adnexa, e. g. votum quadagesimalis abstinentiae, nam acces-

¹⁾ Ita Vermeersch. n. 224; Cocchi. *Comm. in Cod. V.* n. 140; Arregui. n. 213 hoc probabile habet; Génicot. n. 325.

²⁾ Marc. n. 639; cfr. etiam Maroto, *Inst. Iuris Can.* n. 445, et Noldin-Schmitt. n. 226, qui de potestate *directa* irritandi vota loquentes de solis votis *impuberum* mentionem faciunt. Fuse hanc sententiam defendimus in *Apollinaris* 1929. p. 495; 1930. p. 109; cfr. etiam nobiscum Schmitt in *Zeitschrift für kath. Theol.* 1936. II. p. 244, atque Lanza in *Bollettino del Clero* 1943. p. 3-9.

³⁾ Cfr. S. Thom. 2. 2. *qu.* 88. *a.* 12; *qu.* 189. *a.* 3. *ad* 3; *Apollinaris* 1930. p. 271 *sequ.*, ubi probatur agi in canone de professione prima. Ibi etiam perpenditur utrum post Codicem vota privata ante professionem *sollemnem* emissa, per hanc etiam *extinguantur*, sicut plures ante Codicem tenebant. Res incerta haeret; sed saltem ad cautelam irritari possunt a Superiori; secus post egressum e religione practice implenda manent.

⁴⁾ *Episcopus* babere potest potestatem dominativam in *Instituta iuris dioecesani*, si nempe ita ab initio stipulatum fuerit. Cfr. Vermeersch. *de relig. Inst. I.* n. 397; Raus. *de Obed. virt. et voto.* n. 117. 118.

sorium sequitur naturam sui principalis; e) votum transeundi ad strictiorem Religionem.¹⁾ (n. 233. Lib. 4. n. 53. 54.)

3º Vota novitiorum possunt Superiores *indirecte* irritare, illa scilicet, quae novitiatui impedimento sunt. (n. 233. Lib. 4. n. 55.)

492. — III. CIRCA VOTA CONIUGUM. 1º Uterque coniux *certo* potest *indirecte* irritare omnia consortis sui vota, quae praeiudicant usui matrimonii, proliis educationi, et gubernationi familiae. (n. 234.)

2º *Certo maritus non* potest *directe* irritare vota *ante initum matrimonium facta*; quia voluntas uxoris illo tempore non erat ei subiecta. (n. 237.)

3º Disputatur, utrum maritus vota uxoris *stante matrimonio* emissā *directe* irritare possit necne. *Prima sententia* negat; quia subiectio uxoris ad virum nascitur ex contractu matrimonii, ideoque est illi commensa; ergo se extendit ad sola iura matrimonii. *Altera sententia* quae saltem extrinsece probabilior videtur, affirmat; eius fautores eam probare nituntur ex S. Scriptura, ex Num. xxx. 7-13 et ad Ephes. v. 24: «Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.» Ratio autem est, quia *integra uxoris subiectio* valde expedit ad pacem familiae mutuumque amorem fovendum, ac feminarum impetus animi retundendos. (n. 234.)²⁾

In dubio num vota uxoris *ante vel post* matrimonium emissā fuerint, non potest vir *directe* illa irritare; quia non possidet eius potestas, eo quod dubium versetur circa factum *fundans* eius potestatem. (n. 237.)

493. — Quaestiones. QUAER. 1º *An possint Superiores irritare vota, postquam illa rata habuerunt.*

Resp. *Valide* possunt; quia, etiamsi vellent, nequeunt sibi adimere potestatem dominativam, quam in subditos habent. *Licite* vero non possunt, sine iusta causa, si *positive* illa confirmaverint. Circa gravitatem vero huius peccati duplex est sententia probabilis. Alii asserunt esse peccatum grave, ex Num. xxx. 16, ubi dicitur hoc esse iniquitatem; et ratio est, quia, posito consensu suo, tenetur Superior votum non impedire. — Alii forte probabilius asserunt esse per se *veniale* tantum, quia Superior utitur iure suo, neque est causa violationis voti, cum, facta irritatione, auferatur voti obligatio. (n. 239.)

QUAER. 2º *Sed quid, si coniuges mutuo consensu voverunt castitatem aut Religionem, et sic unum votum consortis ratum habuerunt.*

Resp. Tunc *uxor* certe non potest amplius irritare votum viri; quia vir non est ei subditus. Idem tenent Theologi communiter de *viro* respectu voti uxoris, quia cessit iure suo; nihilominus advertit S. Alf. hanc rationem sibi non persuadere, ob doctrinam datam in praecedenti quaestione; attamen, cum opinio sit communis, dubium sapientibus decernendum remittit. (n. 236. 239.)

¹⁾ Ita Salm. tr. 17. c. 3. n. 38. Cfr. tamen can. 632, vi cuius talis transitus fieri nequit sine auctoritate Sedis Apostolicae, ita ut votum non valeat nisi sub conditione: si Sedes Apostolica permisit. Cfr. *Apoll.* 1929. p. 499.

²⁾ Pro sent. negat. vide *Periodica* 1934. p. 175*.

Punct. II. *Dispensatio voti.*

Tractabimus de dispensatione: *a) votorum generatim, b) votorum reservatorum.*

a) DISPENSATIO VOTI GENERATIM.

494. — I. **Notio.** Dispensatio est relaxatio voti nomine Dei facta ab eo, qui potestatem *iurisdictionis* spiritualis habet. Differt ab irritatione, quia haec fit nomine proprio irritantis, non requirit causam ad valorem suum atque, si directa est, pertinet ad solam potestatem dominativam. (Cfr. supra n. 136; Wernz. III. h. 584. 1.)

II. Exsistentia. Ecclesiam habere potestatem (vicariam) ex legitima causa dispensandi in votis patet usu et traditione Ecclesiae antiquissima. Ratio est, quia omnis humana lex indiget interdum dispensatione; votum autem est quaedam lex privata, quam homo sibi ipse imposuit; Christus porro non defuit Ecclesiae in necessariis. Constat praeterea ex potestate solvendi quaecumque, quam Christus contulit Apostolis apud Matth. XVIII. 18.

495. — III. Subiectum *activum* et *passivum* huius potestatis sunt: 1º ROMANUS PONTIFEX quoad omnes fideles et quoad omnia vota, etiam *sollemnia*. (n. 256. Lib. 6. n. 1119. H. A. n. 42. 50.)¹⁾

Imo, etiam dispensare potest in votis quae redundant *in favorem tertii*, dummodo agatur de promissione gratuita, nondum acceptata, vel acceptata quidem, sed principaliiter in honorem Dei facta. In priori enim casu promissarius nullum ius acquisivit; in altero casu illud acquisivit quidem, sed dependenter a Deo, cui praecepit ius acquisitum est.

Non vero per se et regulariter dispensare valet, si promissio voto firmata principaliter facta est *in favorem tertii*, v. g. *in favorem talis pauperis determinati*, ab eoque rite acceptata; vel si promissio est onerosa seu mutua. Per accidens tamen aliquando etiam in hisce votis dispensare valet in quantum: *a) tertia illa persona iure suo cedat*; vel *b) bonum commune illud postulet*; vel *c) iura illa tertiae personae quaesita supremae administrationi R. Pontificis subsint*, ut obtinet circa iura religioni per professionem religiosam acquista. (n. 255. H. A. n. 19. 41; Wernz. III. n. 584. II; Marc.¹⁸ n. 644.)

2º INFERIORES ROMANO PONTIFICE, e canone 1313 quoad vota *non reservata*, et dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum; et quidem:

a) loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos atque vagos actu in territorio commorantes. Cfr. supra n. 194.

b) Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad professos, novitios, aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infiriae valetudinis.

c) Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas. Hoc modo confessarii regulares ex antiquis privilegiis dispensare valent in omni-

¹⁾ Pro votis sollemnibus cfr. v. g. can. 640. § 1. 2º et can. 636. Quoad modum explicandi dispensationem in votis sollemnibus, in ordine etiam ad doctrinam D. Thomae (2. 2. qu. 88. a. 11), cfr. i. a. Rev. thomist 1922. p. 398; 1923. p. 179, 311; 1924. p. 150, 548; 1925. p. 375. 474; Angelicum 1936. p. 161-191.

bus votis fidelium, in quibus id valent Episcopi idque tam extra quam intra Confessionem; quae quidem privilegia quamdiu non revocantur, etiam sub novo Codice in pristino suo vigore perseverant. (n. 257. H. A. n. 42.)

NOTA. Qui facultatem generalem habet dispensandi a votis, potest dispensare etiam secumipso; quia est actus iurisdictionis *voluntariae*, quae non postulat distinctam personam. Cfr. supra n. 194. (n. 256. *in fine* et n. 249.)

496. — IV. Necessitas causae legitimae ad validitatem in omni dispensatione voti etiam a Romano Pontifice peragenda, deducitur ex eo quod dispensans non agit ut dominus nomine proprio, sed ut Dei minister, qui non potest excedere commissionem suam: Deus autem dedit hanc potestatem in aedificationem, non in destructionem; ergo, si remittat sine causa, nihil facit. Cfr. can. 1313. (n. 250.)

Causae iustae dispensandi recensentur: 1º bonum commune, vel familliae, vel maior profectus ipsius voventis; 2º immaturitas in vovendo, puta cum nimia facilitate, ex metu, in impubertate; 3º probabile periculum transgressionis, sive ob communem hominum fragilitatem quando materia voti est ex se periculosa, sive ob specialem voventis dispositionem; 4º magna difficultas in exsecutione, etiamsi praevisa fuerit; sufficit quoque, si vovens magnis scrupulis vexatur. (n. 250. 252. 253.)

NOTA. Quando adest quidem causa dispensandi, sed non sufficiens ad *integrum* dispensationem, admisceri debet aliqua commutatio. (n. 255.) Itidem, quando causa ad dispensandum non est tanta, ut reddit dispensationem *debitam*, regulariter consultum est non plene dispensare, sed miscere aliquam commutationem, ut fert usus Ecclesiae. (*Prax. Confess.* n. 26.)

Denique si bona fide credatur adesse iustum causam, quae revera non subsistit, non valet dispensatio; quia in lege Superioris invalide dispensat inferior sine sufficienti causa. In dubio tamen num in dispensatione data adfuerit causa, vel an fuerit sufficiens, standum est pro valore actus. Vide quae diximus supra n. 196. (n. 251.)

b) DISPENSATIO VOTORUM RESERVATORUM.

497. — I. Notio. 1º Vota *privata* Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum *perfectae ac perpetuae castitatis* et votum *ingrediendi in religionem votorum sollemnium*, quae emissarint *absolute* et *post completum decimum octavum aetatis annum*. (can. 1309.)

2º Praeter haec duo vota privata etiam vota *publica*, qualia emittuntur in professione religiosa, sive perpetua sive temporaria, natura sua *indirecte* S. Sedi reservata sunt, ob acceptationem *nomine Ecclesiae* a legitimo Superiore factam.

Vota *privata* quae emittuntur in nonnullis Societatisibus exemptis iuris pontificii, in quibus sodales vivendi rationem religiosorum imitantur, quin votis publicis obstringantur, sunt *privilegiata*, quatenus a nemine dispensari possunt nisi a R. Pontifice vel a Supremo Moderatore in actu dimissionis e Societate. Cfr. Cocchi. *Comment. in Cod. tom. V.* n. 138.

498. — II. **Interpretatio.** Reservatio, cum sit odiosa, stricte est interpretanda, ideoque restringenda ad vota ab omni parte *perfecta*, nimisrum a parte tum *materiae*, tum *actus*, tum *obligationis*.

Hinc: 1º A parte MATERIAE imperfectum est: *a)* votum non contrahendi matrimonium, non fornicandi, servandi virginitatem (si hoc nomine intelligatur sola integritas carnis), votum castitatis pro aliquo tempore, aut castitatis coniugalis, aut non petendi debitum; — *b)* votum suscipiendi Sacrum Ordinem; cum non sit votum castitatis, sed assumendi statum, cui votum castitatis adnexum est; — *c)* votum castitatis a coniugibus emissum *in matrimonio*, quia non potest esse votum castitatis *integrale*; nisi emissum fuerit ab utroque coniuge ex mutua conventione et expressa renuntiatione mutui iuris; quia tunc votum undequaque perfectum est (*Lib. 6. n. 986; Ferrar. v. Debit. coni. art. 2. n. 4.*); — *d)* votum religionis sine intentione religionis cum votis sollemnibus. (*n. 224.*)

2º A parte ACTUS vovendi, imperfectum est: *a)* votum metu iniusto extortum, licet levi; — *b)* votum *poenale*, etiam post admissam culpam; quia non emittitur cum directo affectu erga rem promissam sicut alia vota, sed potius cum animi aversione, ut timore eiusmodi obligationis contrahendae vovens revocetur a peccato; quare non est pure et simpliciter dicta promissio alicuius rei in Dei cultum praestandae.

3º A parte OBLIGATIONIS imperfectum est: *a)* votum sub obligatione levi emissum; — *b)* votum *conditionale* sub conditione *de futuro contingentis* quae suspendat obligationem certe non est reservatum ante impletam conditionem: nec probabilius post impletam conditionem, quia imperfectio originis in voto imbibita manet (*n. 261. H. A. n. 49.*); votum vero sub conditione *de praeterito* vel *de praesenti* aut *de futuro necessario* reservatum est, cum eiusmodi conditiones obligationem non suspendant; — *c)* votum *disiunctivum* de materia reservata et non reservata, e. g. votum Religionis vel Sacri Ordinis, quamdiu vovens non elegerit partem reservatam; nec probabiliter post electionem, quia remanet libertas alteram partem eligendi. (*n. 258. 261. H. A. n. 49.*)

In dubio an vota sint reservata, sub reservatione non comprehenduntur; haec enim, cum odiosa sit, ad casus certos restringi debet. (*Laym. lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 14.*)

Nota. Vota reservata sunt quoad *substantiam* dumtaxat, non quoad *circumstantias* ipsorum; unde si quis emiserit votum ingrediendi religionem *arctam* aut ingrediendi *statim*, hae circumstantiae non sunt reservatae. (*n. 258.*) Demum si qui religiosus emittat votum transeundi ad religionem *arctiorem*, neque hoc votum est reservatum, quum obiectum voti non sit ingressus *religionis* (quem ingressum iam perfecit), sed ingressus religionis *arctioris*. (*n. 257.*)

499. — III. **Dispensatio** votorum reservatorum regulariter et per se ita S. Sedi reservatur, ut in singulis casibus ad eam eiusve Delegatum recursum sit. In specie:

1º Quoad vota *privata*: Ordinarii dispensare non valent generali lege

¹⁾ *A. A. S. 1949. p. 158.*

vi can. 81 in casibus urgentibus, quia potestas ibi collata ad vota Sedi Apostolicae reservata sese non extendit. Ita expresse Comm. Cod. 26 Jan. 1949¹⁾ contra sententiam plurium auctorum antea satis probabilem. ²⁾ Indigent ergo speciali facultate.

Sic facile Ordinarii locorum inter facultates quinquennales etiam eam habent « dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressor e voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum decimum octavum aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit. »³⁾

2º Vota *religiosa* ipso facto solvuntur (salvis oneribus ordini maiori adnexis, pro religioso *in sacris*): *a*) quoties professus indultum *saecularizationis* obtinuerit, sive a S. Sede sive etiam, ubi agitur de religione iuris dioecesani, a loci Ordinario (can. 638. 640. § 1. 2º.) — *b*) quoties vota *temporaria* professus e religione iuris sive dioecesani sive etiam pontificii dimissus fuerit (can. 648.) — imo *c*) in nonnullis etiam religionibus, ex constitutionibus propriis vel Apostolicae Sedis indultis, quoties *perpetuo* professus dimissus fuerit. (can. 669. § 1; cfr. et S. Alf. n. 257.)

Punct. III. *Commutatio voti.*

500. — I. Notio et divisio. Commutatio est translatio obligationis voti ab una materia in aliam. Triplex distinguitur, scil. in opus *melius*, in *aequale* et *in minus*.

II. Subiectum commutans. 1º Commutatio in evidenter *melius* fieri potest propria auctoritate. Ratio est, quia finis voti est promovere homines ad melius Deoque gratius bonum; ergo, ubi in melius commutatur, optime impletur. (n. 243.) — Excipe vota facta et acceptata in commodum tertii: quae sine huius consensu commutari nequeunt, eo modo quo dictum est de dispensatione. Excipe etiam vota reservata. Cfr. can. 1314. (n. 243. 255.)

2º Etiam commutatio in opus *aequale* fieri potest propria auctoritate, demptis casibus pro commutatione in melius iam exceptis. Constat ex can. 1314, quamvis antea hac de re disputaretur. (n. 244. *quaest. rec. ref.* 8. H. A. n. 38.) Neque ista aequalitas mathematice sed moraliter est sumenda, ita ut non appareat excessus manifestus; quia in moralibus parum pro nihilo putatur. Porro opus personale potest commutari in reale, et e

¹⁾ *A. A. S.* 1949 p. 158.

²⁾ Cfr. priores edit. Vol. I n. 499.

³⁾ Hinc non videtur admittenda singularis sententia Card. Gasparri (*De Matr.* I. n. 428-431) fuxta quam talis dispensatio in ipso can. 1111 implicite continetur. Cfr. *N. K. St.* 1933. p. 294. Infra tom. II n. 904. Nota. Quid fieri possit circa vota, quatenus constituent impedimenta matrimonialia, aptius in tract. de Matrimonio (tom. II. n. 774. II. 6º; n. 778. 780) explicabitur. Cfr. interim can. 1043-1045; 1058; 1073; cfr. etiam tom. II. n. 905. qu. 2.

converso; perpetuum in temporale, dummodo debita servetur proportio. (n. 247. *Prax. Conf.* n. 26.)

3º *Commutatio in minus* bonum fieri potest ab illo cui potestas est dispensandi idque ad normam pro dispensatione traditam. (can. 1314.) Conetur commutans talia opera voto substituere, quae videantur magis utilia et non nimis difficultia. Tuttior porro est commutatio in frequentationem Sacramentorum, ut est praxis S. Poenitentiariae. (n. 247. 243.)

III. *Necessitas causae.* *Commutatio in evidenter melius nullam exposcit causam:* in aequale nequit fieri sine aliqua iusta causa, licet sufficiat; in minus poscit maiorem causam, etsi non tantam quantam dispensatio. Ratio primi est, quia voto impediri nequit bonum maius; ratio secundi sumitur ex eo ipso quod opus non est melius: ratio tertii, quia est ex parte dispensatio. (n. 244.)

Ad commutandum in aequale commutans ne sit scrupulosus circa causam; sufficit minus periculum transgressionis, maior propensio aut devotio voventis. (n. 244.)

501. — Quaestiones. QUAER. 1º *An commutatio in minus, sine iusta causa, sit non solum illicita, sed etiam invalida.*

Resp. Est duplex sententia probabilis. *Prima* negat, dummodo suppleatur defectus; quia sic permutatio inter homines, non servata aequalitate, non est irrita; ergo neque relate ad Deum, imo multo minus, quia mitius cum eo agitur.

Secunda affirmat; quia, sicut plena dispensatio est nulla sine iusta causa, ita et partialis, qualis est commutatio in minus. — In dubio autem utrum causa commutationis fuerit sufficiens neene, potest vovens acquiescere iudicio commutantis. (n. 245.)

QUAER. 2º *An, facta commutatione, liceat voventi redire ad priorem materiam voti.*

Resp. Certo licet, si commutatio facta est in aequale aut in minus. Probabilius vero et communiter, contra paucos, id concedunt quoque, etiamsi facta sit in melius; quia commutatio est favor, quo uti non tenetur, iuxta regulam Iuris antiqui 61 in 6º: «Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.»

QUAER. 3º *An, si materia subrogata fiat impossibilis, teneatur vovens redire ad primam.*

Resp. Dist. Negat., si commutatio facta fuerit potestate Superioris: idque, tametsi impossibilitas culpa voventis evenerit; quia per eiusmodi commutationem prior obligatio extinguitur; obligatio autem semel extincta non reviviscit. Cohäret autem hoc responsum cum responso ad praecedentem quaestionem; *quia non repugnat rigorem obligationis* tantum in aliam transire materiam, et manere facultatem implendi illam per priorem. — Hinc v. g. si pro eleemosyna subrogatum sit iejunium tali die, et vovens tunc iejunare non potuerit aut noluerit, quamvis in hoc posteriori casu peccarit, non tenetur ad eleemosynam.

Affirm., si propria auctoritate commutatio facta fuerit; quia propria auctoritate obligatio non transfertur, sed solum satisfit Deo per opus melius vel aequale (n. 249.)

502. — **Nota pro praxi.** Sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut numquam vota emittant, nisi de consilio vel approbatione confessarii sui, imprimis si de voto castitatis agatur. Confessarius autem non permittat castitatem perpetuam vovere, nisi personis quas noscit bene fundatas in virtutibus et solida pietate. Adolescentibus sub initio tantum permittat castitatem vovere per aliquod definitum tempus, et sub conditione resolutoria, quae prudenter adiungitur: « Nisi confessarius pro tempore iudicaverit expedire ut votum desinat. » (*Praxis Confess. n. 93.*)